AUTHOR:

PFANNSCHMIDT, VICTOR

TITLE:

DE VENTORUM APUD HOMERUM ...

PLACE:

LEIPZIG

DATE:

1880

Master Negative #

91-80397-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Pfannschmidt, Victor, 1855-
De ventorum apud Homerum significatione et descriptione. Dissertatio inauguralis quam ... scripsit Victor Pfannschmidt ... Leipzig, Grimme & Trömel, 1880.
44 p. $21\frac{1}{2}$ cm.

Thesis, Leipzig.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 12-26-91 INITIALS ER
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

mm

Inches

DE VENTORUM APUD HOMERUM SIGNIFICATIONE ET DESCRIPTIONE.

Dissertatio inauguralis

quam

ad summos in philosophia honores

ab

amplissimo philosophorum ordine

Universitatis Lipsiensis

rite impetrandos

scripsit

VICTOR PFANNSCHMIDT.

Coswigensis. Ascan.

Leipzig.

Druck von Grimme & Trömel.

1880.

Avunculo optimo dilectissimo

Dr. HERMANN EGGERT

has studiorum suorum primitias

amoris caussa

pie

D. D. D.

auctor.

Caput I.

De diversis flandi vocabulis.

In Homeri carminibus tria praecipue vocabula primitiva occurrunt, quorum radices notionem flandi et spirandi exhibent: ὁ ἄνεμος a radice ἀν, ἄημι a radice ἀϜ, πνέω vel πνείω a πνυ.

Ac primae quidem radicis verbum et in graeca lingua et in ceteris eiusdem orginis praeter sanscritam (an-i-mi spiro) et gothicam (uz-ana exspiro) non exstat. Qua re nonnullos viros doctos[1]) eo perductos esse putaverim, ut auctore Eustathio ad ε 478: ἐκ τοῦ ἄω ὁ ἄνεμος ἐπενθέσει τοῦ ν vocem ἄνεμος a verbo ἄω vel ἄημι falso derivarent. Sed vocabulum ἄνεμος ducendum esse a radice indogermana[2]) an viri doctissimi comparatis propinquarum linguarum vocabulis luculentissime docuerunt[3]). Huius vocabuli pristina spirandi vis antiquissimis iam temporibus apud Graecos ita obscurata est, ut in ipsis Homeri carminibus saepissime cum aliis eiusdem sensus vocabulis coniunctum inveniatur, ut πνοιῇ ἀνέμου, ἀήτης ἀνέμου, ἀυτμὴν ἀνέμου etc.[4]) His similia etiam ex aliarum gentium linguis afferri possunt, ut „flatus venti"[5]) et „Wehen des Windes". Quo ex vocabulo derivata sunt apud Homerum haec: ἀνεμώλιος, ἠνεμόεις, ποδήνεμος, νήνεμος, νηνεμίη, Ἀνεμώρεια B, 521.

Locum verbi ἀν amissi occupavit verbum ex altera radice

---

[1]) cf. Passow, lex. s. v. ἄνεμος; Voelcker, Homerische Geographie, p. 83; Rost, lex. s. v. Steph. Thes.; Freund, s. v., alii.

[2]) cf. Fick, Vergleich. Wörterbuch der indogermanischen Sprachen, I, p. 12.

[3]) cf. Curtius, Grundzüge[5], p. 305 sq.; Pott, Etymolog. Forschungen, II, 4, p. 9; Benfey, Griech. Wurzellexicon, I, p. 118.

[4]) cf. Voelcker, p. 83 sq.

[5]) cf. flatus ventorum apud Justin.
flatus secundus ventorum. Amm.
flamina venti. Lucret.

ἀϝ derivatum, quae apud ceteras eiusdem originis nationes formam va habet. De illa radicis indogermanae [1]) transmutatione apud Graecos vid. Curtius p. 387, 383, 578—583. Hac ex multiformi radice in Homeri carminibus haec ducta sunt. ἄημι;[2]) septies legitur sensu intransitivo, semel sensu transitivo ζ, 131, coniunctum cum praepositione διὰ bis. ἀήτης, ex ἀϝήτης, bis in Iliade legitur Ξ, 254. O, 626., bis in Odyssea δ, 567. ι, 139. In Iliade locis allatis vox ἀήτης significat solum notionem flandi, quae sensum specialem ex appositis ut δεινός et ἀργαλέων ἀνέμων recipit, contra in Odyssea in ipsa voce ἀήτης sensus prosperae aut iucundae aurae auditur, quae sententia sub illa voce posterioribus quoque temporibus subiciebatur.[3])

Porro recte ducentur a verbo ἄω·ἀλιαής, ὑπερ αής, ζαής, δυσαής, ἀκραής. Δυσαής vocem falso nonnulli veteres grammatici explicant,[4]) recte Apollon. Sophista p. 60, 30. Ἀκραής utrum ab adiectivo ἀκρο et ἄω an a κεράω cum α aut privativo aut intensivo (cf. variam lectionem nonnullorum allatam ab Eustath. ad β, 421.) derivandum esset, dubium visum est. Pars enim grammaticorum et veterum et recentiorum ad illud refert ut Doederlinus, § 3, Scholl. B. Q. V. ad β, 421. Hesych. ἀκραῆ. ἄκρως πνέοντα. οὔτε σφοδρῶς, οὔτε ἐλλειπόντως. Eustath. ad β, 424. Apoll. Soph., p. 21, 1; alii referunt ad κεράω ut Scholl. E. Q. R. ad. β, 421, Eustath: τὸν μὴ κεκραμένον, ἀλλ᾽ ἀκριβῆ. Moschopul. ad A, 598. Equidem censeo derivandum esse ἀκραής propter similes formas desinentes in —αής ab ἄω et adiectivo ἀκρο, quod non cum Doederlino ἐπ᾽ ἄκρᾳ τῇ θαλάσσῃ vertendum est, sed adverbialiter ἄκρα, id est „satis, valde", vel potius „iuste", quod optime convenit cum Hesychii s. v. interpretatione supra allata. Ita enim analogia adiectivorum ὑπεραής et δυσαής dictum erit. Omnium vocum syllabam α in —αης apud Homerum semper productam invenimus, quod factum puto digammo paullatim evanescente.

Ex eadem radice derivatum esse vocabulum ἄελλα et testimoniis veterum grammaticorum,[5]) formaque aeolicae dialecti

[1]) cf. Fick, I, p. 202. [2]) cf. Curtius, p. 387.
[3]) cf. Preller[3], Griech. Mythologie, I, p. 388.
[4]) vid. Eustath. ad ε, 295. cf. Scholl. P. Q.
[5]) cf. Apoll. Soph., p. 9, 27. Et. Gud., p. 11.

αὔελλα[1]) comprobatur, et recentiorum auctoritate[2]) confirmatur contra Moschopuli et Eustathii ad B, 293 sententiam, qui quidem ut vocabulum ab εἰλέω derivarent ipsis illius loci verbis commoti esse videntur. Dubitavit Benfey, II, p. 300; cf. I, 263, dubitavit etiam Lobeck, rhemat., p. 264, utrum ex ἄω an ex εἰλέω vel εἴλω vocem derivarent, quocum optime conveniret illud Euripideum λαμπρῶν ἄστρων ὑπ᾽ ἀέλλαισιν Hel. 1518. Id facile dici potuit, postquam sub voce ἄελλα idem fere sensus audiri coeptus est, atque sub voce θύελλα, id est turbinis, quod infra videbimus. Quin etiam derivata est vox ἄελλα ab ἄω et εἰλέω a Stephano in Thesaur. s. v. Haec Stephani etymologia primo obtutu falsa videbitur, quia verbum duabus e radicibus compositum tota in graecitate non reperitur. Nec minus improbandum, vocem ἄελλα derivari ab εἴλω rad. ϝελ. Huius enim radicis formae exhibent illud α protheticum vel euphonicum[3]) in nullo alio vocabulo nisi in ἄελλα; quae res cum analogiae legibus pugnat. Gravissima autem caussa earum, secundum quas ἄελλα, derivatione ab εἴλω repudiata, ad radicem ἀϝ referimus, est illa, quod haud facile fieri potest, quin dissocietur ἄ-ελλα a simili formatione vocis θύ-ελλα. In ea enim quin —ελλα substantivi suffixum agnoscat nemo erit. Sed qui ἄελλα venire ab εἴλω putant, ii ut duabus e radicibus compositionem statuant coacti erunt. Praeterea quid de accentu vocis monendum sit vide apud Goettling. Allgem. Lehre vom Accent der griechischen Sprache, p. 140.

De αὔρη ε, 469, vid. Curtius, p. 387 et Aristot. de mundo IV, 10. De ἀυτμήν et ἀυτμή γ, 289. λ, 400, 407. Curtius, p. 388.

Vocabulum οὖρος et a veteribus grammaticis[4]) et a nonnullis recentioribus[5]) relatum est ad radicem ὀρ, ab ὀρούω ἰωνικῇ ἐπενθέσει τοῦ υ. Inepta profert Schol. cod. 2894 ad H, 5 in Crameri anecd. Pariss. III. Sed potius ducendum esse a radice ἀϝ et comparatis propinquarum nationum linguis (lit. óras)[6]) et ipsius vocis apud Homerum epithetis eiusque usu comprobatur.

[1]) Ahrens, dial. aeol., p. 37 sq.
[2]) Curtius, p. 387. Doederlein, § 11.
[3]) cf. Curtius[4], p. 568 sq.
[4]) cf. Eustath., ad A, 479. β, 421.
[5]) cf. Ameis, ad β, 420; Nitzsch, Anmerk., I, p. 124; Rost. et Passow. s. v.
[6]) cf. Curtius, p. 387.

Huius originationis et apud grammaticos posteriorum temporum vestigium reperitur. Cf. derivationem Zephyri a ζόφ-ουρος apud Eustath. ad B, 147.

E tertia radice πνυ in Homeri carminibus ducuntur πνοιή et verbum πνείω eiusque composita, quod verbum eodem fere sensu ac verbum a radice ἀϜ derivatum adhibebatur. Vox πνοιή apud Homerum partim cum nomine ventorum coniuncta, partim sola per se significans ventum legitur, ut Υ, 439. N, 590.

Nunc transimus ad eam quaestionem, quo discrimine haec vocabula ceterasque ventorum significationes Homerus distinxerit. Simpliciter vocabulo ἄνεμος uti cum nullo modo poetarum sit, ab Homero quoque qualitas et potentia venti significanda erat variis epithetis et appositis.

Eiusmodi apposita sunt haec:

ζαής: M, 157. ε, 368. μ, 313.
λιγύς: Ξ, 17. O, 620. γ, 289. N, 334. Ψ, 218. γ, 176, δ, 357. 567.
λιγυρός: N, 590. Ψ, 215. E, 526 (πνοιή).
ἶς ἀνέμου: O, 383. P, 739. ι, 71. ν, 276. τ, 186.
ἀργαλέος: N, 795. Ξ, 254. λ, 400. ω, 110. λ, 407.
δεινός: O, 627 (ἀήτης).
βία ἀνέμων: Π, 213. Ψ, 713.
κακός: ε, 109.
ἀνέμων μένος ὑγρὸν ἀέντων: ε, 478. τ, 440.
ὀλοός: ι, 82. μ, 425. ξ, 313.
χαλεπός: μ, 286. (χαλεπαίνων Ξ, 399.)
δυσαής: ν, 99. E, 865.
λάβρος ἐπαιγίζων: B, 148. ο, 293.
παντοίων ἀνέμων: B, 397. P, 56. ε, 292. 305. ι, 260.
ἰωή: Δ, 279. Λ, 308.
βύκτης; κ, 20.
ζαχρηής: E, 525. (cf. M, 347. 360. N, 684.)

Neque aliter res se habet in vocis οὖρος usu homerico. Appositis enim variis paullatim effectum est, ut sub voce οὖρος, quae ex ipsa radicis ἀϜ natura ac vi venti flatum sine ullo sensu speciali notabat, cf. γ, 183. δ, 520, significatio venti secundi iam tum audiretur; quae sententia apud posteros Graecorum et poetas et rerum scriptores usque ad extrema graecitatis tempora mansit. Cf. οὔριος. Eiusmodi apposita leguntur apud Homerum haec.

ἴκμενος: A, 479. β, 420. λ, 7. μ, 149. ο, 292.
λιγύς: γ, 176. δ, 357.
ἀπήμων: ε, 268. η, 266. μ, 167.
ἁλιαής: δ, 361.
λιαρός: ε, 268. η, 266.
ὄπισθε et μετόπισθε: δ, 357. ε, 167. λ, 8. ο, 34.
κάλλιμος: λ, 640.
πλησίστιος, ἐσθλὸς ἑταῖρος: λ, 7. μ, 149.
λάβρος ἐπαιγίζων: ο, 293.

Ex his una tantum vox et veteribus et recentioribus grammaticis interpretibusque Homeri carminum dubiae significationis esse videbatur, dico ἴκμενος. Veteres interpretes Homeri ad A, 479 et ad β, 420 afferunt, duci posse vocem ἴκμενος et ab ἰκμάς et a verbo ἱκνεῖσθαι. Sed hanc interpretationem Schol. A. prorsus reicit, cum dicat ἴκμενος ducendum esse ab ἰκμάς, id quod uberius exponit ad l. c. Eustathius. Eandem etymologiam laudavit Nitzschius ad β, 421, I, p. 124, qui quidem veteres putantes, ἴκμενος eandem rem significare atque ἀνέμων μένος ὑγρὸν ἀέντων ε, 478. τ, 440 suo iure reprehendit. Sed ne Nitzschium sequamur impediunt haec. Huius enim prima cur dubitaverit caussa, num ab ἱκνεῖσθαι derivari possit vocabulum ἴκμενος, tollitur, cum recte derivetur οὖρος a verbo ἄω [1]), ut ἴκμενος et οὖρος non idem valeant. Quae deinde Nitzschius disseruit de vi vocis ἰκμάς, quam latius patere et ex homerico loco P, 392 et ex posteriorum usu ostendere studuit, ea si ad vocem ἴκμενος eiusque usum ac vim apud Homerum referantur, subtiliora esse et ab homerica simplicitate videntur abhorrere. Seiungenda autem ea esse vocabula, quae Nitzschius cognatione quadam inter se contineri opinatus sit weichen et weich, einweichen, collata cum εἴκω, ἰκμάς, ἴκμενος, comparatis eiusdem originis linguarum vocabulis luculentissime demonstratur.[2]) Hac enim comparatione apparet, vocabulum εἴκω antiquissimis temporibus litteram digammi postea amissam exhibuisse, contra vocabulum ἰκμάς et ἴκμιος, ἰκμαῖος litteram s postea eodem modo amissam. Itaque nullo modo inter se comparari possunt. Sed ἴκμενος ducendum esse a radice Ϝικ secutus Curtium, p. 137

[1]) cf. Curtius, p. 387. Doederlein, Hom. Gloss., § 9.
[2]) cf. Curtius, p. 135 et 137. Fick[3]. I, p. 228, 784.

censeo.[1]) Namque quam in illa Nitzschii derivatione desideramus analogiam, eam ut confirmet originem vocabuli ἴκμενος a radice Fικ, e compluribus similibus formis afferre licet; cf. ἄρμενος,[2]) εὐκτί-μενος, ποτιδέγ-μενος (cf. I, 625), ἄσ-μενος ex σFάδ-μενος, ἄλ-μενος. Quae omnia ex ipsa radice formata participia olim medii generis verbi, postea vero pro adiectivis vel adiectivo sensu consuetudine volgari dicta saepius apud Homerum leguntur. Ita enim illa vocabula esse formata docet εὐκτίμενος, quod nullo modo ita explicari potest, quemadmodum in lexicis nostris fieri solet, ut factum sit littera coniunctiva o aoristi medii elisa. Ea eiusdem vocis dubitatio impedit, quominus probemus, quae G. Hermannus ad Sophocl. Philoct. 494 adnotavit. Vertendum igitur est ἴκμενος vocabulo „secundus" aut sermone vernaculo „**kommend**", quocum optime convenit locus H, 4 sq., „**günstig**".[3]) Quo referam duas Hesychii glossas ἰκμῶντο. ἐσείοντο, ἐπνέοντο. et ἰκμάσαι. ἐφορμῆσαι nescio.

Vocabulum ἄελλα unde ducendum sit supra vidimus, nunc quam apud Homerum vim habuerit consideremus. Occurrit in Homeri carminibus quaterdecies, quater singulariter dictum, decies pluraliter. Ἐν δ'ἔπεσ' ὑσμίνῃ ὑπεραέϊ ἶσος ἀέλλῃ, ἥτε καϑαλλομένη ἰοειδέα πόντον ὀρίνει. Λ, 297. Ὕψι δ'ἄελλα σκίδναϑ' ὑπὸ νεφέων Π, 374. Μ, 40. Ν, 795. ...ὅνπερ ἄελλαι χειμέριαι εἰλέωσιν ὀρινομένη τε ϑάλασσα Β, 293. ὁπότε σπέρχοιεν ἄελλαι γ, 283. Ν, 334. Τ, 377. (ἀελλόπος Θ, 409. Ω, 77. 159.) γ, 320. ε, 292. 304. ϑ, 409. ξ, 383. τ, 189.
χειμέριαι; Β, 394.
ὑπεραής: Λ, 297.

Veteres scholiastae et grammatici vertunt ἄελλα. ἡ τοῦ ἀνέμου συστροφή, quia ducunt ab εἰλέω.[4]) Sed principalis apud Homerum significatio erat „venti ictus", qui subito ex aëre prorumpit, venti impetus, quod sermone vernaculo dicimus „**Windstoß**".[5]) Id enim perspicuum est ex illa similitudine Ν, 795 sqq. οἱ δ'ἴσαν, ἀργαλέων ἀνέμων ἀτάλαντοι ἀέλλῃ, ἥ ῥά ϑ'ὑπὸ βροντῆς πατρὸς Διὸς εἶσι πέδονδε, ϑεσπεσίῳ δ'ὁμάδῳ ἁλὶ μίσγεται κτλ.,

[1]) cf. Gust. Lange, quaestt. hom. spec. Berol. 1863.
[2]) cf. Curtius, p. 339. [3]) cf. Ameis, ad β, 420.
[4]) Et. Gud., p. 11 et Ammon. ἄημα συνεστραμμένον. cf. Steph. Thes. s. v.
[5]) cf. Curtius, p. 387.

ubi poeta ictum impetumque venti tempestate cum multo fragore tonitribusque coorta in campum desilientem (cf. Λ, 297) et undas in aequore excitantem describit. Idem perspicuum est ex alio loco γ, 283. Hic poeta, ut summis exornet laudibus Phrontidem gubernatorem, Menelaum dicentem inducit, cum venti impetus atque ictus de improviso irrupissent, neminem eo melius navem dirigere potuisse. In hac enim tanta venti inconstantia, in hoc tam subito impetu, quo modo huc modo illuc navis ferri possit, clavum constanter tenere, navemque recte per undas dirigere difficillimum et peritissimi cuiusque est. Ac si quidem vere vocabulo ἄελλα singuli ictus venti significantur, pluraliter dicendo et appositis ut παντοίων ἀνέμων ε, 283. 305 effici potest idem, quod per vocabulum ϑύελλα singulariter significatur, id est procella, turbo. Et ita factum est, ut apud Homerum iam eodem sensu eademque vi ac ϑύελλα in usu esse inciperet cf. ϑ, 409. Huic vocabulo proprium verbum est σπέρχω Ν, 334. γ, 283. ε, 304, quod cum nullo alio flandi vocabulo coniunctum reperitur. Quo verbo optime illa impetus vis significatur; vertendum enim est secundum principalem significationem „subito et vehementer vibrare". Cf. Curtius, p. 198, qui radicem spargh ductam esse et ampliatam e spar p. 287 recte ut equidem censeo suspicatur.

Difficile interpretatu et veteribus et recentioribus grammaticis videbatur ἀελλής, Γ, 13. Veteres quid statuerint exponit Spitznerus in editione ad Γ, 13.[1]) Horum autem pars seiungendum esse ab ἄελλα et derivandum ab εἴλω, ut par vel simile esset adiectivo ἀολλής putabat,[2]) alii, cum ad ἄελλα referrent, tamen formam analogia non confirmatam suspicati grammaticam verborum structuram mutaverunt. Ex his Aristophanes Byzant. insolito adiectivo motus scripsit: κονισάλου ὤρνυτ' ἀέλλης, mutato accentu substantivum ut ἀήτης sibi fingens, Spitznerus l. c. ut κονισάλου ὤρνυτ' ἄελλα scriberetur suasit, Buttmannus coniecit[3]) scribendum esse ἀελλῆς pro ἀελλήεις ut τιμῆς pro τιμήεις I, 605. Inter has sententias tam diversas diiudicare dif-

[1]) cf. Doederlein, **Hom. Gloss.**, § 450. Buttmann, lexilog., II², p. 228.
[2]) cf. Curtius, p. 550.
[3]) **Ausführl. Gram.**, I, p. 171 adnot. cf. F. A. Wolf, **Vorlesungen über** Il. I—IV. ed. Usteri, II, p. 189.

ficile est. Immo nisi cum Curtio vocem ἀελλής cohaerere cum ἀολλής ab εἴλω (Fελ) dicere volumus, res omnino non diiudicari videtur posse. Haec vero Curtii sententia videtur verisimillima. Etenim cum voce ἄελλα quominus ἀελλής coniungamus impedit ea res, quod similes formae, id est adiectiva in —ής desinentia, formata a substantivis, quae quidem ipsa a verbis per syllabam quandam paragogicam (ut hic —ελλα) derivata sunt, in tota graecitate non reperiuntur. Atque coniecturis fidem habere vetant varietas earum, quae novis facile augeri possunt, et librorum auctoritas, qui omnes scripturam ἀελλής exhibent. Itaque, immutata librorum scriptura, ἀελλής simili sensu atque ἀολλής audiemus, quod optime convenit cum pristina vocis κονίσαλος notione „Staubschwall, Staubwirbel".[1])

Vocabulum θύελλα ducendum esse a verbo θύω id est brausen[2]) inter omnes grammaticos constat. Explicant Apollon. Soph. p. 88, 25 αἱ καταιγίδες ἀπὸ τοῦ θύειν κατὰ συνείλησιν τῆς γινομένης πνοῆς, ὅπερ ἐστὶν ὁρμητικῶς ἔχειν; et Hesychius· ἀνέμου συστροφὴ καὶ ὁρμή, ἡ καταιγίς; similiter et Suidas s. v.[3]) Quae de differentia vocum ἄελλα et θύελλα Ammon. p. 7 et Et. Gud., p. 11 docent, minus apta videntur. Occurrit in Homeri carminibus his locis hisque epithetis ornatum, terdecies singulariter dictum, quater pluraliter. ...προφέρουσα κακὴ ἀνέμοιο θύελλα Z, 356. M, 253. N, 39. Ψ, 366. O, 26. Φ, 335. τότε δή μιν ἀναρπάξασα θύελλα πόντον ἐπ' ἰχθυόεντα φέρεν βαρέα στενάχοντα δ, 515. 727. ε, 318. 419. ζ, 171. η, 275. μ, 68. 289. 409. υ, 63. 66. ψ, 316. κ, 48. 54.

κακή; Z, 346. κ, 54.
μισγομένων ἀνέμων; ε, 317.
κραιπνός: ζ, 171.
χαλεπή: Φ, 335.
δεινή; ε, 317.

Haec vox significat apud Homerum, ut supra iam dictum est, procellam, turbinem, quasi assiduam ἄελλαν, id quod nos commode dicimus „**Windsbraut**". Itaque verbum ei proprium adpositum est, quod quamquam apud posteriores etiam similibus ventorum significationibus adponitur, in Homeri carminibus cum

[1]) cf. Fick, vgl. Wörterbuch, p. 417.
[2]) cf. Curtius, p. 258 sq. [3]) cf. Aristot. de mundo, IV, 15.

nullo alio genere venti coniunctum excepto loco ϑ, 409 apparet, dico ἁρπάζειν δ, 515. ε, 419. υ, 63. ψ, 316. κ, 48. Ex hoc verbo ficta est vox ἅρπυια, qua idem atque voce θύελλα significabatur cf. υ, 63 cum 66.[1]) Haec vox ad personas relata raro in Homeri carminibus (cf. Π, 150), saepissime apud eos, qui Homerum imitabantur poetas legitur.

Gravissimum autem perniciosissimumque venti genus apud Homerum — nam tum nomina ἐκνεφίας et πρηστήρ nondum inventa erant[2]) — est λαῖλαψ,[3]) quam voculam veteres grammatici interpretantur Scholl. B. L.: ἡ μεθ' ὑετοῦ αὔρα, D.: ὁ μετὰ ὄμβρου ἄνεμος; συστροφὴ ἀνέμου, καταφορὰ μετ' ὄμβρου. Haec vero interpretatio confirmatur usu vocis λαῖλαψ apud Homerum; qui epithetis vocem exornat iis, quae tempestatem nubibus gravem et imbres secum ferentem indicent cf. κελαινή, ἐρεμνή, βαθείη. Αὐτὰρ ἐγὼν ἐπόρουσα κελαινῇ λαίλαπι ἶσος Λ, 747. M, 375. Π, 365. 384. P, 57. Καὶ τότ' ἔπειτ' ἄνεμος μὲν ἐπαύσατο λαίλαπι θύων μ, 400. ω, 42. μ, 314. Υ, 51. ι, 68. Δ, 279. Λ, 306. μ, 426. 408.

κελαινή: Λ, 747.[4])
ἐρεμνή: Υ, 51. M, 375.
πολλή: P, 57. Δ, 279.
λαίλαπι θύων: μ, 400. 426. μεγαλῇ σὺν — μ, 408.
βαθείῃ λαίλαπι τύπτων: Λ, 306.
θεσπεσίῃ: μ, 314. ι, 68.

Eum si consideramus apud Homerum vocis usum, mira videntur, quae Spitznerus ad Λ, 306 contra interpretes Iliadis latinos, vertentes λαῖλαψ „ingenti vortice imbrifero pulsans", causis nullis adhibitis disseruit. Hac enim similitudine vis atque impetus Hectoris comparatur cum ea Zephyri vehementia, dira nimbis et tenebris, aucta toto tempestatis quasi apparatu, quam tenerae et subalbidae Noti nubeculae sustinere nullo modo possint. Luculentissime autem voce λαῖλαψ procellam nubes et imbres secum ferentem significari cum e Π, 365, tum e μ, 313 apparet.

[1]) Vid. Nitzsch, Anm. I, p. 435 sq. ad α, 241 et Ameis ad l. c. cf. Scholl, V. E. B. et Eustath. ad α, 241. Scholl, A. D. ad Π, 150.
[2]) cf. Aristot. de mundo IV. .Meteorol. II, 6.
[3]) De accentu vid. Goettling, p. 254 sq.
[4]) Verisimile est etiam Π, 365 scribendum esse κελαινῇ.

Λαῖλαψ quid sit veteres grammatici saepe tradiderunt, sed unde duxerint nullo loco reperitur. Ex recentioribus videndus est Doederlinus § 2257, qui λαῖλαψ a radice λαβ reduplicatione [1]) formatum esse vult, quam ad originem etiam grammaticus quidam apud Cramerum anecd. Pariss. II, p. 387, 16 spectat, dicens: δηλοῖ (δὲ) τὴν σφοδρὰν καὶ ἐπιτεταμένην λαμπρότητα (corrigendum secundum Et. Gud., p. 360 in λαβρότητα) τοῦ πνεύματος.[2]) Duentzerus[3]) ducit λαῖλαψ a radice λα, ut significet λαῖλαψ ventum omnia delentem. Sed hae derivationes nimis incertae nimisque alienae a natura flatus videntur esse.

Ab alia suspicor radice originem vocis λαῖλαψ petendam esse. Antiquissimis linguae indogermanae temporibus in usu fuisse radicem quandam ra, quae notionem sonandi exhibuerit et strepitus fere cuiusvis vim comprehenderit, cognitione indicarum linguarum earum, quae ad indogermanarum gentium cognatione pertinent, haud dubium relictum est.[4]) Haec vero radix cum in lingua indogermana, quam vocamus, suffixis variis aucta et ampliata est ut in râ, rap, rabh, ras, rak, tum in ceteris eiusdem originis, mutationibus uniuscuiusque linguae legibus constitutis rationeque certa factis maiorem formarum vocumque varietatem nacta est.[5]) Qui autem singulis suffixis sensus specialis vocibus sonandi inditus sit, difficile dictu erit. Hac ex radice in graeca lingua forma rab vel rabh praeter alias servata et adhibita est. A forma rabh derivanda sunt ἄραβος, ἀραβέω, ἀράβαξ, ῥαβάσσω, fortasse etiam ῥαπάτη. Eodem referenda est forma intensiva λαῖλαψ cf. Sct. lâlap-iti plappern, P. W. tändeln, scherzen, praesertim cum formas ex eadem radice ductas litteram l pro r exhibentes[6]) apud Graecos simili sonandi sensu adhibitas in consuetudine fuisse ostendi possit cf. ὀλόφυς, ὀλοφυδνός, ὀλοφύρω. Quocum optime natura flandi, cum ventus subvehementer spiret convenit. Recte si originationem vocis λαῖλαψ indicaverimus, vertere poterimus „der Rasselnde, Brausende, Brüllende, Tobende". Quod confirmatur appositis ut πολλή, μεγάλη, θεσπεσίη, quod saepius strepitum aliquem exornandi caussa dicitur. Dubia tamen restant apposita ἐρεμνή, κελαινή, βαθείη, quae nisi poetam paullatim sub voce λαῖλαψ tempestatem multo fragore tonitribusque coortam, gravem imbribus ut fieri solet, intellexisse sumatur, perspicua aut aperta non sunt. Cuius rei fortasse vestigium servatum in adnotatione schol. Q. ad ω, 42 λαίλαπι· ἀνέμῳ, βροντῇ.

[1]) cf. Welcker in epistola ad K. Schwenck, Etymolog.-mytholog. Andeutungen, p. 321 sq.
[2]) cf. Benfey, Griech. Wurzellex., II, p. 139.
[3]) In Kuhn's Zeitschrift, XII, p. 12 sq.
[4]) cf. Fick, Vgl. Wörterbuch, I, p. 187 sq.
[5]) cf. Fick, II, p. 407. III, 737. 741. IV, 208. 214.
[6]) cf. Curtius, p. 431 et 555—558.

Typhonem, quem Hesiodus Theogon. vss. 869 sqq. parentem perniciosorum ventorum appellat et vss. 820 sqq. saevientem per maris undas et delentem opera agricolarum diligenter inducit, Homerus breviter attingit B, 781 sq.

Nunc postquam de variis generibus dixi et apparatum ventorum recensui, pauca de regione originis addam. Veteres Homeri interpretes maxime id studebant, ut quam ipsi rerum scientiam per tot saecula tot virorum doctorum studio inventam haberent, eam omnem poetae, quemadmodum Homerum appellabant, vindicarent. Itaque factum est, ut ventorum etiam originis rationem doctrinamque a physicis Graecorum, ab Aristotele in Meteorologicis et in libro de mundo, a Theophrasto in eo libro quem de ventis scripsit, ab aliis multis doctam, Homero iam notam fuisse dicerent. Qua ex notitia dictum esse tradunt ab Homero illud venti epitheton ἴκμενος; quae de eo apposito veteres grammatici inepte si referantur ad Homerum docuerint vide apud Schol. A. et apud Eustathium ad A, 479 et ad l. c. fusius apud Schol. L. Nihil horum doctrinae simile tradit Homerus. Sed naturam ducem secutus, quem ad modum oculis fere quotidie conspiciebat, destitutus omni doctrina, ventos ex aëre delabentes induxit. Testimonia gravissima erunt loci ο, 292. N, 795 sqq. Π, 364 sq. Ex his maxime locus ο, 292 idoneus ad cognoscendum qua cogitatione poeta naturam ventorum complexus sit. Dicit enim Minervam ventum misisse δι' αἰθέρος ἐπαιγίζοντα; qua re ventum in summo aethere aut caelo gigni, unde per aëra in terram delabatur, poetam sibi finxisse perspicuum est. Ad eandem sententiam de rerum natura quasi depromptam spectant verba καθάλλεσθαι, καταβαίνειν, similia, quae saepissime occurrunt in Homeri carminibus. Eiusdem sensus sunt loci hi: B, 145. Γ, 10. Δ, 276. 423. Λ, 297. Ξ,

19. O, 171. Π, 384. γ, 289. M, 157. 253. ε, 176. ξ, 475. ο, 297, τ, 206.[1])

Huic de originis ventorum loco sententiae consentaneum est, apud Homerum penes Jovem principem deorum, in aethere habitantem summam potestatem esse ventos mittendi et cohibendi. Cf. M, 253. 281. 313. Π, 19. 365. γ, 289. ε, 176. ι, 67. ο, 297. 475. ω, 42. Hoc quidem antiquissimis temporibus fabulae volgares ex ipso Jovis nomine profectae praecipiunt. Sed postea, cum poetae maiorem ad conformandas fabulas vim nacti essent, ea ventos immittendi facultas, si narratio postulabat, ad alios quoque inferioris gradus deos transferebatur, ut ad Neptunum ε, 292. η, 272. λ, 400. 407. ω, 110, ad Minervam β, 420. ε, 109. 385. (cf. Eustath. a. l.) ο, 292, ad Junonem Ξ, 254. Φ, 334, ad Apollinem A, 479 ad Calypso ε, 167. 266. 268, ad Circam λ, 7, omnino ad deum, quisquis erat, H, 4. γ, 184. δ, 520. 585. ο, 34, ρ, 148.

Transimus nunc ad eos ventos, quos Homerus nomine proprio indito et certa via et a certa caeli plaga flantes induxit. Horum quattuor a poeta distingui, Eurum, Zephyrum, Notum, Boream, ita ut Eurus ab oriente, Notus a meridie, Zephyrus ab occidente, Boreas a septentrione spiret, inter omnes constat. Sed cum, quantum valeat uniuscuiusque venti potestas haud certe cognitum et perspectum sit, primum singulos recensebimus, deinde videbimus, qua lege coniuncti appareant, postremo quem cursum ex mente poetae tenuerint inquiremus.

Caput II.

De cardinalibus ventis, Borea, Zephyro, Noto, Euro, eorumque sedibus.

Imprimis nomina propria ventorum cardinalium in hac quaestione, qua naturam cognoscere, caussasque, ex quibus data sint

[1]) cf. Friedlaender, Beiträge zur Kenntniß der homerischen Gleichnisse, II. Berol. 1871, p. 12.

intellegere studemus, recte unde ducenda atque quem ad modum interpretanda sint videamus.

De nomine Boreae. Veterum grammaticorum derivationes, quorum rationes perversas stultasque in universum exponit recteque denotat Curtius, p. 5—8, non multum lucis afferunt. Ducunt enim Favorinus[1]): ἀπὸ τῆς βοῆς, quod non sine clamore soleat intonare, Eustathius[2]): κατὰ τοὺς παλαιοὺς παρὰ τὴν βοράν; quin etiam idem[3]) dicit, Boream sic ab Homero appellari, quoniam frigus secum ferens ad edendum (βορά) homines incitet. Ineptissima profert Et. Gud., p. 111—112.[4]) Hae nugae cunctae reiciendae sunt. Sequor equidem Curtium, qui illud pervetustum nomen ducit a voce ὄρος, olim apud Graecos Ϝόρος pronuntiata. Cuius vocis digamma sub forma litterae β in βορέας et Ὑπερβόρεος usque ad extrema graecitatis tempora servatum est. Itaque vertendum est βορέας sermone vernaculo „Bergwind“.[5]) Si vera est Curtii derivatio, illud nomen a Graecis in Graecia ipsa inventum esse nemo negabit. Ii enim soli ex altis Thraciae montibus ventum prorumpentem in mare Aegaeum saepe sentiebant. Etiam nunc qui hodie Graeciam incolunt eundem ventum eadem qua Graeci veteres animadversione ducti nomine ab Italis sumpto appellant Tramontano.[6]) Sic demum quo iure vox βορέας aquilonis venti significationem usurpaverit apud Graecos intellegi potest. Eadem ratione Graecorum *de Hyperboreis* opinio quomodo ficta qua de caussa postea commutata sit cognoscitur. Sic enim Graeci antiquissimis illis temporibus eos homines appellabant, quos trans montes Thraciae habitare putabant. Postea vero cum Thraces Graecis magis magisque in notitiam venissent, terrarumque cognitarum fines septentrionem versus latius proferri coepti essent, Hyperboreorum sedes propius ad septentrionem admotae sunt. Ibi autem, quia nomina illius regionis montium nota non erant, poetae Graecorum auctorem secuti Homerum, qui de Boreae ῥιπαῖς saepius dixerat, illa ὄρη Ῥιπαῖα invenerunt, unde Boream spirare posteri sibi persua-

[1]) Apud Apuleium de mundo, p. 128 et apud Gellium noct. att. II, 22.
[2]) Ad B, 147. [3]) Ad E, 524.
[4]) cf. Cramer, anecd. Pariss. II, p. 351, 33.
[5]) cf. Voelcker, Homerische Geographie, p. 77.
[6]) cf. Kruse, Hellas, I, p. 322.

serant.[1]) Postremo autem, postquam vera Boreae vis e memoria excidit, Graeci Hyperboreos non Ultramontanos[2]) intellegebant, sed homines Borea carentes, trans Boreae regionem habitantes.[3])

De nomine Zephyri. Nomen Zephyri veteres grammatici varie derivabant. Alii enim saepissime in iis scholiis, quae ad nostram aetatem pervenerunt, interpretantur eum ventum, qui quae ad vitam sustinendam pertinent nobis afferat.[4]) Alii ducunt a vocabulo ζόφος, ut sit ventus ab occidente flans: ζόφον τὴν δύσιν ἐκάλουν οἱ ἀρχαῖοι.[5]) Quam derivationem paene omnes recentiores grammatici probant.[6]) Hi omnes vocabulum ζόφος cohaerere cum vocibus κνέφας, δνόφος existimant, ut ζέφυρος significet eum ventum, qui spiret e regione caliginis id est ab occidente.[7]) Contra Muellenhoffius ostendere studuit,[8]) a Phoenicibus vocem ζόφος[9]) ad Graecos antiquissimis temporibus translatam esse. Cuius viri sententiam ne probemus monet primum ea res, quod verba ex aliarum nationum linguis translata eas maxime res significare solent, quae apud ipsos qui transferunt non inveniantur. Quod de vocis ζόφος notione dici non potest. Deinde mirum videatur, cur Graeci cum צָפוֹן in linguam suam receperint, eadem forma atque Hebraei non usi sint, sed n abiecerint, praesertim cum aliis in vocabulis translatis eandem formationem receperint cf. ἀρραβών.

Quibus de caussis Muellenhoffii opinio, quam praeterea ipse caussis non defendit, reicienda videtur. Contra equidem puto, recte Curtium[10]) propinquitatem vocum κνέφας, γνόφος, δνόφος, ζόφος statuisse, praesertim cum ea verba eandem significationem exhibeant. Accedit, quod eandem formationem atque est in aeolico vocabulo ζέφυρος reperimus in ionico δνόφερος. Haec

---

[1]) cf. Preller, Griech. Mythol., I³, p. 387.
[2]) cf. Curtius, p. 348.
[3]) cf. J. H. Voss, Krit. Blätter, II, p. 338 et p. 377.
[4]) Vid. Schol. V. et Eustath. ad I, 5, Schol. B. ad Φ, 334.
[5]) cf. Scholl. A. B. D. ad Δ, 274. L. B. ad B, 147; simila Eustath. ad E, 524.
[6]) Doederlein, § 2247. Lobeck, El., I, 95. Ahrens, dial. aeol. 73. Buttmann, lexil., II², p. 237. Benfey, I, 616.
[7]) cf. Curtius, p. 706.
[8]) Muellenhoff, Deutsche Alterthumskunde, I, p. 119 cf. p. 63.
[9]) צָפוֹן cf. Stier, Hebräisch. Vocabular. Lips. 1871, I, p. 101. II, p. 8.
[10]) Grundzüge⁴, p. 694 sqq.

cum vocabuli ζέφυρος origo verisimillima sit, tamen forma vocis nonnullis difficultatem quandam praebet, quoniam a voce ζόφος derivanda erat non forma ζέφυρος sed ζόφυρος. Qua difficultate commotus Sonnius[1]) ea derivatione repulsa ex sct. radice yabh vocabulum ζέφυρος derivandum esse putat, ut sit idem atque γενέσιος, φυτάλμιος. Qua ex vocis vi iam apud Homerum Zephyro vernum ventum omnia e terra nata gignentem et maturantem significari ut ostendat Sonnius, affert locos η, 119. ξ, 458. Sed eam derivationem improbandam censeo. Nam priore loco de Phaeacum terra oratio est, in qua omnia fere contra rerum naturam fieri poeta multis rebus declarat. Nihil igitur certi ex illo loco de venti natura concludi potest. Nec alter praesidio esse potest Sonnii derivationi. Non enim illic vernus ventus fecundum agris imbrem adferens, sed gravis autumni tempestas commemoratur. Ac si quidquam momenti haberet illud αἰὲν ἔφυδρος, Notus, cui propter umidam naturam nomen inditum est, aptior ad terram fecundam reddendam videretur. Melius illi opinioni firmamentum esse locum B, 147 sq. puto. Sed hoc ex loco etiam si quis recte Sonnium derivasse vocabulum ζέφυρος statuat, videat, quomodo huic opinioni locos repugnantes, ubi ventum poeta Zephyrum procellosum et perniciosum terra marique esse dictitat, consonos et congruentes faciat. Quae autem Homeri temporibus fuerit amissa, rediise veram vocis ζέφυρος vim posteriore tempore vel emersisse, nemo facile credat. Omnino autem dubitandum, num tale venti epitheton, quale ζέφυρος secundum Sonnii derivationem esset, idoneum Graecis visum sit, quo in nomen proprium mutato ventum occidentali e plaga flantem significarent. Nihil enim singulare e rerum natura sumptum uni vento habet, sed pariter omnibus adponi potest. Quibus ex caussis Sonnii opinionem reiciendam esse censeo. Perseverandum est in illa derivatione supra dicta. Sed vocem ζέφυρος formatam esse ex ipso verbo *ζεφω — quod quamquam in lingua graeca non reperitur, tamen praesumi necesse est —, non e vocabulo ζόφος, persuasum mihi est. Itaque ζέφυρος non eum ventum significat, qui spirat e regione caliginis vel ζόφου, sed tenebricosum ventum, qui nimbos secum ferens caelum et terram obscurare solet.

---

[1]) In Kuhns Zeitschrift, X, p. 122 sq.

De nomine Noti. Mirae de Noti originatione veterum opiniones. Pars[1]) enim ducit a vocabulo νόσος, alii[2]) a νόθος, alii[3]) παρὰ τὸ ὀνῶ τὸ βλάπτω, ὄνοτος ὢν κατ' ἀποβολὴν τοῦ ο. Sed et veram vocabuli originem nonnulli[4]) adsecuti sunt: νότος τάχα διὰ τὸ νοτίζειν. E recentioribus Doederlinus[5]) derivat νότος a radice να; quod verbum antea litteram s exhibuisse, e comparatis sct. linguae vocabulis plane ostenditur.[6]) Sed tamen eam litteram antiquissimis iam temporibus esse neglectam, quia in ipsis Homeri carminibus nullum eius vestigium reperitur excepto fortasse loco μ, 427: ἦλθε δ'ἐπὶ Νότος ὦκα.... constat. Itaque si vera illius vocabuli derivatio est, significat Notus ventum umidum vel aquosum vel eum, qui imbrem e nimbis defundit.[7]) Quocum videntur convenire, quae Scholl. B. L. ad Δ, 275[8]) de Noto docent.

De nomine Euri. Huius quoque venti nomen difficile interpretatu est. Veteres ducebant[9]) ab εὖρος (εὐρώς). ὁ ἱδρώς et ab εὖρος, ὅτε κατὰ πλάτος τοῦ κόσμου τείνει. Hesychius: εὖραι· αὖραι adnotante M. Schmidtio: An εὐρόθεν αὖραι. Alias nostro tempore sententias protulerunt viri docti. Fuerunt,[10]) qui vocem Εὖρος cohaerere cum vocabulis a radice ἀϝ (cf. αὔρα) formatis putarent. Sed talis vocis vis latius patet, quam qua ventus ex orientali plaga spirans significari potuerit. Itaque Fickius[11]) a voce ἠώς (rad. us.) vocabulum ducit, ut Εὖρος significet eum ventum, qui spiret a plaga orientis solis, e regione Aurorae. Eodem sensu sed falsa formatione interpretatur vocem Εὖρος Favorinus,[12]) quasi ἀπὸ τῆς ἕω ῥέων. Sed dubitandum puto, num ante Homeri tempora significatio plagae orientalis per vocem ἠώς, praesertim cum in Homeri carminibus ea plaga duobus vocabulis coniunctis (πρὸς ἠῶ τ'ἠέλιόντε) semper significetur, adeo usitata fuerit, ut vento, qui ex ea regione spirare soleret, nomen indere potuerit. Accedit, quod et ceterorum ventorum

1) Schol. L. ad E, 697.
2) Et. Gud., p. 412.
3) Cramer, anecd. Pariss., I, p. 295, 18.
4) Et. Gud., p. 412.
5) § 2238.
6) cf. Curtius, p. 319.
7) cf. Sct. snu, fließen lassen.
8) Non recte repetit Eustath. ad. l. c.
9) Et. Gud., p. 220.
10) cf. Ahrens in Kuhns Zeitschrift, III, 165.
11) Vgl. Wörterbuch, I³, p. 32. cf. Pott, Et. Forsch., II, 4, p. 336.
12) Apud Apuleium de mundo, p. 128.

nomina nullo modo ad cognitionem et significationem caeli plagarum pertinent. Tertiam derivationem suasit Curtius.[1]) Ducit enim a verbo εὔω vel εὕω, ut Εὖρος significet ventum, qui terras urit, vel verbo tenus urentem. Sed vereor, ne vis verbi εὕω nimis cum natura venti pugnet. Melius forsitan referatur Εὖρος ad similis notionis verbum, ad αὔω vel αὕω **trocknen, dörren.** Cuius verbi pristinam formam sus fuisse ostendit Curtius.[2]) Huius radicis prima littera s in ags. ahd. lit. ksl. (sáusas, **trocken**) servata, in ceteris linguis in propinquas versa, in graeca primum in spiritum asperum mutata (αὕω), postremo prorsus amissa est (αὖος, αὐστηρός). Αὖ-ρος (αὖσρος) leni diphthongi αυ mutatione abiit in Εὖρος. Quod si recte statuimus, vocem Εὖρος interpretabimur ventum quaecunque terra nascuntur terramque ipsam siccantem. Haec vocis vis optime cum ceteris ventis conveniat.

Nomina igitur quattuor ventorum cardinalium excepto Borea eo, quod principalem uniuscuiusque venti qualitatem et potestatem denotabant, ex adiectivis paullatim propria facta sunt; atque additi olim nominis ἄνεμος vestigia supersunt O, 26. Π, 150. ι, 68. ξ, 253. 299. τ, 200. Hac naturae ventorum significatione, quae ad caeli plagas nullo modo pertinebat, factum est, ut cum certiore ratione viae ventorum cognosci et diligentiore orbis descriptione caeli plagae constitui coeptae essent, Boreas et Eurus imprimis ventis accuratioris definitionis Aparctiae et Apeliotae cederent.

Ventorum postquam nomina propria recensuimus, munera et epitheta accuratius perlustrari opus non est post doctam Voelckeri[3]) hac de re disputationem. Restant pauca interpretatu difficilia, quae hoc loco addere liceat. Primum igitur e Boreae epithetis memorabile visum est veteribus grammaticis ὀπωρινός, cum poetam eo epitheto etesias septentrionales autumni tempore coortas indicare putarent.[4]) Sed quid Homerus sub voce ὀπώρα audiri voluerit, recte si intellegere vis, videndi sunt omissis Eustath. et Schol. V. ad Φ, 345. Buchholz, Hom. Real., I, 1, p. 43. Voelcker, Hom. Geogr., p. 80. Kruse, Hellas, I, p. 246. 249. 322. Ukert, I, 2, p. 178. Non enim est ὀπώρα

1) cf. Grundz., p. 398.
2) Grundz., p. 393.
3) Homer. Geogr., p. 75—77. 79—83.
4) cf. Gell., II, 22, 25.

tempus autumni, sed id anni tempus, quod incipit paullo ante caniculae ortum[1] et desinit oriente arcturo. De epithetis Boreae soli propriis vid. Voelckerum, p. 79—80. Ex his unum dupliciter veteres interpretabantur αἰθρηγενής.[2] Alii enim active ab Homero dictum putabant; in his sunt Apoll. Soph., p. 16. 26: αἰθρίαν γεννῶν, Et. Gud., p. 231: ὁ αἴθρου καὶ ψύχους αἴτιος.[3] Contra alii passive positum graviter dicunt Scholl. B. L. V. ad A, 477 ad vocem ἠριγένεια: ἡ ἐκ τοῦ ἦρι γενωμένη ὡς λυκηγενής. ὅλα γὰρ ταῦτα εἰς πάθος ἀναλύεσθαι οὐκ εἰς ἐνέργειαν.[4] Hoc praeceptum, certe referendum ad Alexandrinos grammaticos, multis et similibus formis notae significationis confirmatur. Cf. λυκηγενής, μοιρηγενής, παλαιγενής. Quod si sequimur, vertendum est αἰθρηγενής „natus aethere", ut et ex eo Homerum ventos summo in aethere nasci et oriri sibi finxisse perspicuum sit. Hoc appositum, quod primo obtutu nihil singulare Boreae videtur significare, ex priorum poetarum carminibus in Homeri poesin translatum esse puto. Ad usitatiorem illam vocabuli αἰθρηγενής explicationem veteres grammaticos eo adductos esse existimo, quod in αἰθρηγενέτης ε, 296 suffixum — ετης vel — της activum sensum efficientem respicerent. Omnes enim voces in — ετης desinentes active dicuntur ut ἑκατηβελέτης, ὑψιβρεμέτης, εὐεργέτης, alia id genus. Sed idem suffixum invenimus in illo deorum epitheto, quod saepe occurrit, αἰειγενέτης, in quo quidem verbum γίγνεσθαι latiore usu apparet, significans „esse". Eodem modo vertendum in αἰθρηγενέτης.

Difficultatem quandam interpretationis praebet locus ξ, 475. Quid enim hic Βορέαο πεσόντος sibi velit, non plane perspicuum est; itaque pars interpretum vertit „postquam Boreas cecidit" ut τ, 200, pars ut valeat πεσόντος idem atque ἐμπεσόντος „Borea coorto". Ad illam priorem interpretationem spectant, quae Eustathius ad ε, 295 affert: τὸ δὲ Νότος ἔπεσεν ἢ μᾶλλον συνέπεσεν ἤγουν εἰς ἓν ἦλθεν ἑτέρῳ ἀνέμῳ φανερῶς διαφέρει τοῦ ἁπλῶς πεσεῖν ἄνεμον ὅ ἐστι παύσασθαι, quae quidem ad ξ, 475

[1] cf. Λ, 26 sqq. [2] O, 171. T, 358.

[3] cf. Schol. ad T, 358 αἰθρίας αἴτιος. Scholl. B. L. V. ad O, 171, quod scholion depravatum videtur. Similia apud Scholl. P. Q. V. ad ε, 296. Eustath. ad ε, 268 et ξ, 475.

[4] Similia Moschopul. ad l. c. cf. Eustath. ad ε, 296: ὁ ἐξ αἰθέρος γινόμενος id est ὕψοθεν πνέων. cf. Buchholz, I, p. 24.

quodammodo refellit dicens: τὸ δὲ νύξ κτλ. αἰθρηγενέτην ὑποβάλλει νοεῖν Βορέαν ὡς ψυχροποιὸν ὅπερ καὶ ἐν ἄλλοις λέλεκται. Eodem sensu interpretantur Βορέαο πεσόντος Ameisius[1] et Buchholzius[2], quem iusto inconsideratius secutum esse Ameisium suspicor. Is enim dicit, cum silentibus ventis ningat, acrem frigoris vim et penetrabilem esse solere. Quod quo iure dictum sit, haud intellego, cum contrarium evenire ipsa rerum natura doceat. Sed concedamus ei πεσόντος vertendum esse „postquam cecidit ventus", quaerendum est, qua re commotus poeta ventum cecidisse dixerit Boream, cuius versibus superioribus mentionem non fecerit, qua re poeta cum noctem frigore acerbissimam voluerit describere, omiserit Boream, quem ipse frigidissimum omnium saepissime induxerit. Itaque censeo vertendum esse πεσόντος Βορέαο „Borea coorto, Borea flante", quocum consentanea est pristina illa verbi πίπτω vis, ducendi a radice πετ.[3] Eandem interpretationem iam autea suasit Goettlingius,[4] ex Moschopulo afferens: πεσόντος ἀντὶ τοῦ καταπνεύσαντος, et ex Proculo: πνεῖ γὰρ ἀπὸ ὑψηλοτέρων ὁ Βορέας, ὃ δηλοῖ τὸ πεσεῖν. De ea ventorum ratione et de discrimine inter κυλίνδειν, Boreae proprium verbum, et inter ὠθεῖν, proprium Noto vid. schol. Porphyrii, ad γ, 296 servatum a Scholl. E. H. Q. R.[5]

De epitheto Noti ἀργεστής et de nomine proprio Ἀργέστης[6] Sonnius[7] videndus est. Exhibet ἀργεστής notionem celeritatis, quae ducta est ex pristina vocabuli ἀργο notione micandi vel lucendi.[8]

De sedibus ventorum. Jam utrum certis locis domicilium ventorum constituerit Homerus, an pro natura eorum vagantes et solutos liberosque induxerit quaeremus. Veteres Homeri interpretes, quod saepissime in scholiis ad Iliadem legitur, ventos

[1] Et in editione ad l. c. et in eius appendice III, p. 60.

[2] Homer. Realien, p. 15—16.

[3] cf. Curtius, p. 210. [4] Ad Hesiod. Opp. vs. 547.

[5] cf. Schol. E. ad ε, 295. Eustath. ad γ, 295.

[6] cf. Ameis ad Λ, 301 sqq. (Anhang, IV, p. 89.) Acusil. fgt. 3. ap. Mueller. I, p. 100. Goettling. ad Hesiod. Theog. vs. 379. J. H. Voss, Myth. Briefe, I, p. 233 sqq., quae quidem nullo modo ad Homeri Eurum referri possunt.

[7] In Kuhns Zeitschrift, X, p. 338.

[8] cf. Curtius⁴, p. 171. Fick, Vgl. Wörterb., I, p. 23 sub v. argas et II, p. 24 s. v. argos.

a poeta in Thracia collocatos esse locis I, 5 sqq. et Ψ, 195—230 adhibitis docent. Hanc veterum sententiam plerique recentiores secuti sunt.[1]) Sed aliter rem sese habere ostendere conabor.

Plurimis locis ab Homero venti inducuntur, quales rerum natura ipsa intuentibus praebet, vagantes per mundum neque humana neque divina specie induti. Sed tamen nonnulli leguntur loci, ubi ventos illam speciem exhibere nemo negabit. Sed ea species, ea ventorum conformatio poetica adumbrata tantum videtur, certis lineis a poeta non descripta. Sic inducuntur Harpyiae apud Homerum cf. II, 150. α, 241. Quod optime cum natura ventorum cumque legibus poeticae artis convenit. Unus autem locus exstat, ubi ventos ea consuetudine neglecta poeta descripsit accuratius, ubique more deorum vel hominum viventes induxit et agentes. Ille locus legitur Ψ, 195—230. Sed ibi poeta in deis describendis sibi non constitit. Immiscuit enim ea epitheta, narravitque ea facta, quae ventis tantum apta et convenientia sint. Quod poetam perverse fecisse equidem puto. Non enim, ut exemplum afferam, de deis dici potuit illud verbum πεσέτην vs. 216: ἐν δὲ πυρῇ πεσέτην, quod solum convenire potest ventis. Talis utriusque naturae, deorum et ventorum, commixtio abhorret cum omnino a bonorum poetarum usu, tum ab Homeri more simplicissimo. Is enim naturam ventorum, quemadmodum rerum natura praebebat, integram in carmina sua transferebat. Quod de illius partis Iliadis Ψ, 195—230 auctore praedicari non potest. Itaque equidem puto, hanc quoque perversam ventorum conformationem, hanc accuratiorem deorum speciem praeter ceteras caussas a multis aliis adlatas indicium recentioris originis illius loci esse. Cuius auctorem, cum locum I, 5 sqq. in memoria teneret, quasi de improviso in eam conformationem esse delapsum suspicor.

Eam tali modo constituere quibuscunque rebus poeta commotus est, semper id tenendum est, opinionem eam, qua in Thracia ventos habitasse putaretur, non fuisse popularem Graecorum aut vulgo notissimam, sed poetarum fictionibus, maxime auctoris rhapsodiae Ψ., apud Graecos inductam esse. Etenim si illa opinio revera popularis fuisset, usitatam perceptamque e

[1]) cf. B. Thiersch, Zeitalter und Vaterland des Homer², p. 265. Voelcker, p. 78. Buchholz, I, 1, p. 79. Schlegel, geogr. hom., p. 87, alii.

rerum natura cognitionem ventorum, qualis in carminibus Homeri plurimis locis invenitur, aut falsam reddidisset, aut aliquantum contulisset ad commutandum ventorum apparatum poeticum. Atque illa, si revera popularis fuisset, poetam in discrepantiis et locorum et rerum naturae inexplicabilibus implicuisset. Quod quia nullo loco factum esse videmus, illam de ventorum in Thracia sede opinionem ab Homero vel ab aetate homerica quam dicimus disiungendam esse censebimus. Equidem puto, inventum eam fuisse unius e genere Homeridarum poetae. Cuius poetae auctoritate commoti, posteriores, praesertim cum Homerum auctorem et rhapsodiae Ψ. esse putarent, Thraciam omnium sedem ventorum esse dictitabant.[1])

Omnino igitur cum Homerus ventos certis locis habitare non tradat, sed libere vagantes et per totum mundum certa e caeli plaga spirantes faciat, intellegi non potest, qua re perductus aut quibus argumentis ex Homeri carminibus sumptis nisus J. H. Vossius[2]), quem secutus est Voelckerus[3]), ventos in finibus orbis terrarum sedes habere opinatus sit. Licet posteriores poetae id excogitarint, tamen Homerus talem opinionem non novit. Perversius ea Vossii sententia magisque alienum ab ea, quam sibi finxerat Homerus de ventis cogitatione, Grotefendi[4]) de quattuor ventorum principalium regionibus vel finibus iudicium est. Dicit enim, summa in terra in quattuor diversis finibus quattuor ventorum deos regnare, quorum in suo quisque regno quoquoversus spirare soleat; in medio fere terrae orbe flatus ventorum concurrere a certis plagis proficiscentes, sed in suis finibus ventorum deos ex sedibus suis quoquo velint spirare. Itaque a Borea in iis regionibus, quae postea Hyperboreorum appellatae sint, navem ferri posse etiam in septentrionem versus. Sed hoc Grotefendi de ventis artificium facile refelli potest. Namque si ea orbis terrarum divisio vera et ad mentem Homeri dicta esset, fines uniuscuiusque ventorum regni etiamsi

[1]) cf. Schol. ad Apollon.. Rhod., I, 826. Preller, Griech. Mythol., I³, p. 897 sq. cf. Ukert, Ueber die Windscheiben und Winde der Griechen und Römer. Zeitschrift für das Alterthum. 1841.

[2]) Ad Vergil. Georg., I, p. 371. cf. p. 241.

[3]) Hom. Geogr., p. 83.

[4]) Bertuchs allgemeine geograph. Ephemeriden, 1815. 48. Band. 3. Stück, p. 260. cf. p. 270.

certis lineis non determinari, tamen aliquo circuitu comprehendi perhiberique posse oportebat. Sed perhiberi aut demonstrari non possunt. Namque in Boreae finibus, qui terminantur Aegypto et Libya,[1]) Notum flare poeta tradit.[2]) Atque in Zephyri regno, quamquam usque ad Troiae regionem atque ad oram Asiae minoris pertinet,[3]) tamen Notum et Eurum circa Thrinaciam et Sicaniam spirasse legimus.[4]) Quosnam igitur fines regnorum singulorum constituamus? An medio illo terrae orbe, in quo venti concurrant, omnes fere terras Homero notas significari putemus? Talem de ventis homericis opinionem qui probat, caveat, ne omnem naturae cognitionem ei poetae abiudicet, quem omnes summum naturae cultorem, rerumque quae in ea fiant peritissimum fuisse laudent, neve omnem carmina Homeri recte interpretandi rationem abiciat. Itaque Grotefendi illam de ventis sententiam diu a viris doctis optimo iure refutatam Baerium[5]) minus prudenter recoxisse censeo.

Attamen ut in una semper eademque de ventis opinione ac rerum naturae consentanea Homerum in carminibus suis ita sibi constitisse videamus, ut omnia, quae de ventis tradantur, inter se conveniant tantum abest, ut quattuor ventorum usus discerni possint et aetate et ratione inter se diversi. Ac primum quidem Homerus, ut supra saepius dictum est, rerum naturam secutus ventos certis locis non addictos in omnibus orbis terrarum partibus spirare saepissime tradit. Horum flaminum summus dominus et rex fuit antiquissimis temporibus Juppiter, cuius ex arbitrio pendebant quaecunque in caeli regione fiebant. Ceteri quoque dei sive maiores sive minores regni illius quodam modo participes fiunt, cuius rei testimonia saepissime in Homeri carminibus occurrunt. Deinde Graeci cum, quaecunque in rerum natura aut oculis videbant aut omnino sensibus percipiebant, ad deos referre solerent, facere non poterant, quin et ventos ad speciem divinam aut humanam, sed illam quidem incertissimam, conformatos sibi fingerent. Antiquissimis temporibus rara fuit ea ventorum imago et inusitatior ita, ut Homerus eam non ad-

[1]) cf. ξ, 253. 299. [2]) cf. Φ, 334.
[3]) Φ, 334. Ψ, 216. [4]) μ, 326.
[5]) In eo libro, qui inscribitur: Historische Fragen mit Hülfe der Naturwissenschaften beantwortet. Petersburg 1873.

hiberet nisi genealogiae cuiusdam enarrandae caussa ut Π, 150. Υ, 223. Hunc vero simplicem Homeri usum amplexi posteriores qui eum imitabantur poetae, quo in numero auctor rhapsodiae Ψ. putandus erit, magis magisque amplificarunt ita, ut quattuor, postea etiam octo[1]), venti singulari virtute inter se diversi, more heroum viventes, in suis aedibus habitantes, plerumque in Thracia sedes habentes crederentur. Postremo inducuntur venti a Jove in ditionem traditi Aeoli, qui aut cohibendi eos aut immittendi potestate utitur summa. Haec ventorum conditio quamvis aliena a consuetudine Homeri esse videatur, tamen nullo modo cum ea pugnat. Ea enim aut a poeta ipso ludente, ut narrationem Ulixis errorum mirabiliorem audientibus redderet, ficta est, aut quod melius videtur, e commenticiis nautarum sive Graecorum sive Phoenicum fabulis recepta in Odysseam translata est. Sed fabula de Aeolo conficta quamquam omnibus nota erat, tamen per se non valuit, nec ad quas quisque poeta vellet, fabulas transferri potuit. Itaque neque in Iliade neque apud Hesiodum neque in Odyssea praeter suum locum Aeoli mentio fit. Ex quo elucere videtur, fabulam Aeoli ab ipso originis initio ad Ulixis errores pertinuisse. Quod si non probabitur, illud tamen constat, eam neque ulla ad commutandas ventorum cognitiones aut opiniones volgares vi neque extra suum locum magna in auctoritate apud Graecos fuisse.

Caput III.

Quemadmodum coniuncti inter se in Homeri carminibus venti appareant.

Duos vel etiam plures ventos ita componere, ut aut secum pugnent aut duplicent vim, poetarum non solum Graecorum, sed omnino omnium[2]) est. Hac enim re poetae rerum naturam secuti efficiunt, ut qui vel audiant vel legant summam vehe-

[1]) Ut ficti sunt in turri Andronici Cyrrhestis Athenis aedificata.
[2]) cf. Senec. quaestt. nat. V, 16.

mentissimamque ventorum vim animo et cogitatione sibi effingant. In Homeri carminibus eiusmodi loci leguntur hi. Coniunguntur:

omnes: ε, 295 sq.[1])

Boreas et Zephyrus: I, 5. Ψ, 195—230.

Boreas et Notus: ε, 331. ν, 110 sq.

Zephyrus et Notus: Λ, 305. Φ, 334. μ, 290.

Zephyrus et Eurus: ε, 332.

Notus et Eurus: B, 145. Π, 765. μ, 325.

Ex hoc numero quemadmodum quattuor ventos principales oppositos sibi finxerit Homerus, ostendunt loci ε, 331 sq. ν, 110 sq.; ex iis enim apparet, Boream Noto, Euro Zephyrum adversum tenere, quorum omnium vehementibus alternis flatibus ratis Ulixis longo incertoque errore iactetur. Sed poeta cum dissensionem aut pugnam quorumcunque virorum aut exercituum similitudine e ventorum repugnantia sumpta illustrare vellet, non ventos recta via obviam euntes inducebat, sed eos, qui ex eodem terrae latere flantes angulo quodam in unum contenderent. Ita enim non solum prohibetur, quominus venti, cum luctentur, insistere videantur, id quod abhorret a ventorum velocitate et rapacitate, sed etiam facile cognoscitur, uter ventus, cum alterum in concurrendo via deflectat et secum ferat, fortior aut validior viribus sit. Haec res similitudine illa, quae ad illustrandam vim Hectoris intolerabilem pertinet Λ, 305 sqq. optime declaratur. Similis locus, ubi non contrarii venti sed adfines proelio contendunt, est I, 5 sqq., quem locum multi viri docti falso interpretati sunt. Putabant enim, poetam, ut unum ventum significaret e media inter septentrionem et occidentem plaga spirantem, Boream et Zephyrum nominasse. Sed ex ipso loci tenore elucet, Homerum, ut Graecorum animos inter metum et maerorem[2]) fluctuantes illustret, duos ventos mare concitantes inducere, quorum diverso flatu undae, quo vertantur longo tractu non habentes, permisceantur. Atque eodem modo dissensionem et perturbationem contionis ut illustret poeta B, 145 sq., comparat maris undas, quarum ut augeatur tumultus, duo venti in unum ruentes excitantur. De singulari numero vid. schol. Moschop. ad. l. c. Interdum ut extollatur tempestas duo venti a

[1]) Et κ, 47 omissis nominibus.

[2]) cf. Wood, Versuch über das Originalgenie des Homer, p. 47.

poeta adhibentur, non tam eandem viam ingressi quam obliquiore cursu ad eundem locum vergentes. Eiusmodi est locus Φ, 334.

Tali binorum ventorum coniunctione Homerum ventum e plaga inter utrumque sita flantem statuisse multi viri docti opinati sunt; in his Voelckerus[1]), gravis iudicii vir. Qui testimonia affert B, 145. I, 5. Ψ, 195—230. μ, 325. Atque illum locum B, 145 sq., de quo iam supra diximus, rectius intellegimus, si de ventis inter se certantibus orationem esse putamus. Idem probabitur de loco I, 5 sqq., cuius sententiam plane obscuraremus, si Lehrsii,[2]) Voelckeri,[3]) Woodii[4]), aliorum, qui unum ventum intellegebant, opinionem sequeremur. Unum enim ventum intellegere, cum ipsis poetae verbis duo nominentur, et duorum effectus describantur, vereor, ne subtilius sit. Illorum opinioni hoc maxime obstat. Nec Graeci nec Romani umquam ad eam orbis ventorum significationem simplicissimam pervenerunt, quam nos per coniunctionem ventorum principalium efficimus, ut in Nordwest, Südost etc. Has ventorum principalium inclinationes novis nominibus veteres significaverunt. In unius tantum venti inclinatione illa coniunctio facta est, dico in vento Εὐρόνοτος. Quod si consideramus, verisimile mihi quidem non videtur, Homeri temporibus accuratiorem ventorum distinctionem duobus principalium nominibus factam esse, quam posteriores uno nomine novae originis significaverint. Transimus ad Ψ, 195—230. Atque hoc loco in illa opinione falsa aliquid veri inesse videri potest. Namque cum uterque ventus ex eadem regione profectus in campum Troicum veniat, Thracia vero a Troia inter septentrionem et occasum solis spectet, recte concludi posse videtur, hic nominibus duorum ventorum unum eundemque, quem Romani Caurum, Graeci postea Ἀργέστην[5]) appellaverint, significari. Sed vereor, ne absurdum neve poetis indignum videatur, pro uno vento duos, quos humana specie indutos humanasque res agentes induxerint, eandem viam confecturos nominibus diversis ornatos excitare. Restat locus μ, 325. Hunc perverse interpretati sunt multi eorum, qui de erroribus Ulixis scripserunt, ex iis perversissime Voelckerus, p. 76. Qui hoc potissimum

[1]) Hom. Geogr., p. 76.

[2]) De Aristarcho², p. 384.

[3]) Hom. Geogr., p. 76.

[4]) Wood, Originalgenie, p. 87.

[5]) cf. Aristot. met. II, 6.

loco quasi certo opinionis suae de erroribus Ulixis testimonio saepe abusus est. Putabat enim, hic voce Νότος eum ventum significari, qui e regione inter meridiem et ortum solis spectante spiraret, et accuratius a poeta, ne quid audiri vellet audientes effugeret, sententiam explicari adpositis verbis Εὖρός τε Νότος τε. Quod subtilius quam verius esse videbitur. Nam siquis accuratius locum vertat, longe aliam sententiam a poeta expressam esse inveniet. Narratio incipit vs. μ, 277: Ulixes, cum ad insulam Thrinaciam navem adpellere coactus esset, contrariis ventis, quominus Ithacam cursum teneret, impeditus est; postquam enim per totum mensem spiravit Notus, ne tum quidem ullus alius ventorum flavit, nisi Eurus aut Notus. Recte si interpretati sumus, sequitur primum, Ulixem ut multo diutius uno mense in insula Thrinacia moraretur coactum esse; (ex quo emendandi sunt Voelckerus,[1]) Prellerus,[2]) B. Thierschius;[3]) deinde, Homerum verbis Εὖρός τε Νότος τε unum ventum, eum, qui spiret e regione inter meridiem et ortum solis vergente, non significare, sed, quemadmodum coniunctio verborum indicet, et Eurum et Notum. Si enim loci sententiam accuratius explicamus et plurium verborum circuitu ostendere volumus, in hunc fere modum adumbranda erit. Ulixes comitum temeritate ut navem in insulam Thrinaciam appelleret coactus, contrariis ventis ibi retinetur; per totum mensem spirat Notus; cum autem mutetur ventus, ne tum quidem secundus venit, sed Eurus, idem unus e contrariis ventis, et rursus Notus alternis vicibus spirant. Hac vera ut equidem censeo explicatione Voelckeri de ventis inter se coniunctis opinio refellitur. Praeterea ista ventorum distinctio pro temporibus illis graecae poeseos antiquissimis, quibus regiones caeli minus accurate divisae erant, nimis subtilis videtur esse. Accedit, quod accurata illa ventorum significatio ne iis quidem locis, velut in mari Aegaeo, ab Homero adhibetur, quae poetae necessario nota fuerunt, ubi si usitata vel ipsi vel popularibus fuisset, in enarrandis itineribus Herculis, Menelai, Nestoris, aliorum, illa usus esset, nedum iis locis, quae in incertissimis regionibus et maribus sita et poeta sibi finxerat, et populares credebant. Contra poetarum quicunque sunt exemplum

[1]) Hom. Geogr., p. 120. [2]) Griech. Myth., II³, p. 458.
[3]) Ueber Zeitalter und Vaterland des Homer², p. 266.

et artis poeticae ratio docet, simplici quattuor ventorum principalium notione contentos fuisse, qui non doctrinae rerum naturae exquisitioris laude excellere, sed respondere artis poeticae postulatis cogitarent.

Caput IV.

Quam sedem tenuerit Homerus ventorum ex usu et commemoratione concluditur.

Hanc de Homeri sede quaestionem veteres grammatici et interpretes, quia ab uno poeta, habitante in ora Asiae minoris, ut plerumque credebatur, illa carmina composita esse putabant, suo iure neglegebant. Recentiores autem gravissimis argutissimisque scrupulis virorum doctissimorum, maxime nostrae aetatis, incerti, utrum carmina homerica ab uno vate concepta et ficta essent, an e compluribus diversorum temporum diversorumque locorum carminibus singulis antea disiectis paullatim coaluissent, etiam in hac parte interpretationis quam maximam operam consumebant. Optime enim eiusmodi quaestionibus sese aut suam de patria Homeri opinionem argumentis confirmaturos, aut contrarias virorum doctorum sententias repugnaturos esse, recte sperare poterant. Quare eos maxime locos e numero similitudinum colligebant, quibus Homerum quasi e sua sede quae fierent descripsisse putabant. Eam viam primus ingressus est Woodius.[1]) Secuti sunt multi iique doctissimi viri, qui sententias illius aut confirmare atque amplificare, aut in dubitationem vocare, aut prorsus refellere studebant. Quarum sententiarum caussas denuo examinare et, si fieri possit, novis argumentis aut comprobare aut redarguere, operae pretium erit. Sed priusquam ad quaestionem ipsam transeuntes singulos locos, qui ad eam rem pertinent, perlustramus, quaerendum nobis videtur, quo iure talis de sede Homeri disquisitio ex ventorum commemoratione ac descriptione facienda institui possit.

[1]) In eo libro, quem inscripsit: über das Originalgenie des Homer's. 1769.

Epici poetae eis rebus, quae ad suas ipsorum sedes domesticas referri possint, et quae ad se ipsos attinere videantur, omissis narrationi fabularum propositarum eorumque, quae auctores rerum aut dicunt aut agunt, totos se dedere solent. Tamen interdum quasi inviti et casu, ut ea quae narrent significatione et descriptione rei cuiusdam omnibus notae illustrent atque quodammodo ante oculos ponant, mentionem aut locorum circumiacentium aut prospectus maris finitumi aut rei insignis in ipsorum tantum regionibus usitatae facere consuerunt. Quae res saepissime occurrit in similitudinibus, quas carminibus ad augendam orationis elegantiam atque perspicuitatem sententiarum inserere poetarum maxime epicorum est. Ea poetarum licentia et Homerus in similitudinibus permultis ad illustrandas fabularum res saepissime utitur.[1])

Jam recensebimus eas ventorum commemorationes, e quibus de sede poetae vel poetarum conclusum est et re vera concludi potest. Atque primum occurrit ille locus I, 5 sqq., de quo non solum recentiores etiamnunc dubitant, sed etiam veteres grammatici diversissimas interpretationes excogitaverunt. Ex his prorsus reicienda est, ut cum de sedibus ventorum quaestionem institueremus ostendimus, ea sententia scholl. B. L. V. minorumque passim relata, quae propterea ventos Zephyrum et Boream e Thracia flare censet, quia sedes in illa terra habeant. Nec magis probari potest aut ea, qua locum illum scholl. L. V.[2]) vertunt συνεκδοχικῶς, id quod minime probari potest, aut ea, qua explicant τρόπῳ συλληπτικῷ. Talis enim interpretatio neque cum regulis grammaticorum convenit, et nimis a rerum natura abhorrere videtur. Restat ea sententia, quae in optimo Iliadis codice ad I, 5 adscripta est, prior scholiastae A[3]): πῶς δὲ ἀμφοτέρους ἐκ Θρᾴκης φησὶ πνεῖν, τοῦ μὲν Βορέου ἐξ ἄρκτου, τοῦ δὲ Ζεφύρου ἐκ δύσεως πνέοντος; ῥητέον οὖν, ὅτι ἡ τῶν Θρᾳκῶν γῆ ἐπὶ πολὺ διήκει καὶ σιγματοειδὲς κεῖται τῇ θέᾳ μέχρι τῆς δύσεως. Interpretatur, si recte intellexi et si pluribus verbis sententiam scholiastae explicare licet, hunc fere in modum. Cum Thracia paene formam litterae sigma (C) situ atque aspectu

[1]) cf. Bergk, Litteraturgeschichte, I, p. 451 sq.
[2]) cf. schol. Porphyrii servatum in B. ad l. c.
[3]) cf. schol. D. ad l. c.

exhibeat, lateque ad mentem Homeri patens praesertim ad meridiem versus procurrat, haud absurdum videri, si Homerus etiam Zephyrum cum Borea in campum Troicum flantem induxerit. Sed ne optimi quidem grammatici interpretatio videtur iusta aut omnibus absoluta numeris. Omnes igitur quas antiquitas tulit interpretationes postposuit Woodius, qui sagacitate summa praeditus novam illius loci explicandi iniit rationem, in eo libro, qui inscribitur: An Essay on the original Genius of Homer. London 1769. Francof. ad Moen. 1773, p. 32. Quod ad nostrum locum pertinet, Woodius p. 48 sq., quamquam Thraciam tum latius quam postea procurrere, idem secutus schol. A., putabat, tamen verba loci non ad campum Troicum rettulit, sed e sede poetae, tempestatem appropinquantem quasi conspicientis, dicta esse ostendere studuit. Quam poetae sedem aut in urbe quadam orae Asiae minoris, aut in insula aliqua prope illam oram maritumam sita, fortasse Smyrnae vel in insula Chio, fuisse existimabat.[1]) Haec viri sententia diu latuit nec recepta est a viris doctis; quin etiam impugnata est ab H. W. A. de Marées[2]) et a Voelckero[3]) caussis ut equidem censeo nullo modo probabilibus. Voelckerus enim dicit, poetae fabulam e bello Troiano sumptam componenti omnes res ad illum locum transferendas fuisse ita, ut se ipsum quasi e conspectu urbis Troiae loca, montes, mare, silvas, denique quae circa urbem sita sunt describentem finxerit. A quo ventum quoque et Zephyrum et Boream utrumque e Thracia flantem induci necesse esse, quia Thracia ab urbe Troiae revera et in septentrionem et in occidentem vergat. Itaque cum naturali quadam necessitate poeta cogatur, ut ventum utrumque e Thracia in campum Troicum venire dicat, nullo modo ex illo loco de sede eius concludi posse. Sed contra dicendum est, hic a poeta, qui neglecto locorum situ per similitudinem sententiam illustrare studeat, rem popularibus notissimam eorumque in sedibus usitatissimam describi. Quam rem ita sese habere ex eo intellegitur, quod poeta pronomini relativo, ad Boream Zephyrumque referendo, particulam τὲ apposuit; qua, ut saepius in Homeri carminibus reperitur, aut conditiones

[1]) p. 59 sq.
[2]) Versuch über die Kultur der Griechen zur Zeit Homer's. Berlin 1797.
[3]) Hom. Geogr., p. 79.

vel rerum vel hominum vel locorum omnibus qui audiunt notissimae et facta usitatissima significantur,[1]) aut e numero quodam nonnulla, quae tamen certis carent nominibus, eliguntur.[2]) Quam particulam poeta, si de agro Troiano audiri voluisset, cum ipse in longe aliis regionibus sedem haberet, e quibus omnes res ad loca fabulae institutae referret, relativo pronomini non apposuisset. Restat examinare, quid B. Thierschius[3]) et Buchholzius[4]) de illo loco iudicaverint. Quorum ille, inconsideratius Voelckerum secutus, eius viri moderatione non usus est, ut non dubitaret dicere, ventos Boream et Zephyrum, quia in Thracia habitarent, semper, quocunque iter verterent, ex illa terra venire necesse esse. Hic autem, qui, si Bergkium omittimus, novissimus, quod sciam, de ea re disseruit, refovit veterum interpretationes, dicens, difficultatem loci tolli posse, si sumeretur, aut Thraciam tum latius patuisse ad occidentem versus quam postea, aut a poeta hoc loco non vias, sed sedes significari ventorum, quos omnes in Thracia divina indutos specie habitantes faceret. Apud eos quoque invenitur illa locorum I, 5 et Ψ, 195—230 confusio, quae quam perversa sit, iam supra ostendimus. Nihil igitur hi omnes attulerunt, quo Woodii Bergkiique de loco I, 5 sqq. sententiam aut impugnare aut reicere cogamur.

Eodem modo in Asiae minoris ora sedem auctoris Iliadis fuisse colligi potest e duobus aliis locis, qui leguntur in rhapsodia quarta vss. 275 sqq. et 422 sqq. Illo enim loco pastor quidam inducitur, qui cum tempestatem occidentali ex plaga appropinquantem, venientem super mare moxque vehementissime erupturam sentiat, obscura nubium caligine perterritus, gregem in speluncam quandam compellit. Hoc autem loco litus describitur, ad quod undae Zephyri vi in alto ortae et excitatae agitantur. Tali in locorum descriptione apparet, id litus intellegendum esse, quod Zephyro plane pateat ita, ut vento, veniente super altum, — sic enim κατὰ πόντον et πόντῳ vs. 424 et 276 vertendum est, — recta via stringi vel tangi possit. Huic conditioni optime respondet Asiae minoris ora maritima, in qua

[1]) cf. α, 50. 52 (vid. Ameis. ad l. c.). I, 39.
[2]) cf. I, 396.
[3]) Zeitalter und Vaterland des Homer², p. 264 sqq.
[4]) Realien, I, p. 79.

carmina homerica et orta et culta esse antiquissimis temporibus, priusquam ad alias oras eodem modo Zephyro patentes sitasque in Graecia ipsa transferrentur, a multis iisdemque gravissimis veterum auctoribus traditum est.[1]) Quae si recte disputavimus, Woodii sententiam, qui sedem poetae Smyrnae potissimum vel in insula Chio fuisse voluit, quodam modo definire accuratiusque circumscribere licebit. Cum enim priore loco pastor quidam e specula altum in mare prospiciens proculque nimbos appropinquantes videns inducatur, statio, ut ita dicam, prospicientis sita in regione circa Smyrnam, qua in urbe vulgo a veteribus sedem vel originem poetae fuisse traditur, nullo modo cogitari potest. Etenim qui a regione circa Smyrnam sita ad occidentem versus prospicit, quominus altum mare videat, prohibetur promunturio Malaenae, Mimantisque montibus et, ut breviter dicam, paeninsula Erythraea, vergente ad septentrionem. Et eam partem maris Aegaei, quae his adversisque orae Asiae minoris locis, quoquo versus prospicitur sub aspectum cadentibus, includitur, nemo Graecorum πόντον suo iure appellaverit. Quod si viris doctis subtilius esse videatur, alium alius rhapsodiae locum afferre possumus Ξ, 395 sq. Hic quoque id litus maris cogitari necesse est, quod, cum vento Boreae adversum iaceat, undis ποντόθεν flatu Boreae excitatis alluatur. Qui litoris situs, cum nullo modo referri possit ad regiones, quales sunt apud Smyrnam, neque ad alias regiones orae Asiae minoris, quae eodem modo et ipsae respondeant et congruant loco I, 5 sqq., supra laudato, pertinere videtur ad insulam Chium. Haec enim insula flatui et Boreae et Zephyri pariter exposita prospectum alti maris, nulla terra impeditum, et ad septentrionem et ad occidentem versus praebet. Accedit, quod et ad meridiem prospectus aperitur loco illo B, 145 sq., quo mare Icarium, omnibus insulae incolis notissimum, excitatum tempestatibus ventorum Euri et Noti vehementissimis, describitur. Si vero quae supra de usu et ratione similitudinum homericarum diximus recte exposita sunt, necessitate quadam eo ducimur, ut sedes auctoris sive auctorum Iliadis vel locorum supra allatorum haud procul ab illis regionibus, fortasse in insula Chio ipsa fuisse dicamus. Quamquam ne eam rem pro

[1]) cf. Sengebusch. diss. hom. I. et II.

certa habeamus, cavendum nobis est. Namque fieri potuit, ut is, qui post iter in eas regiones factum illum maris prospectum, illos ventorum effectus in memoria tenuit, domum reversus, carminibus, quod vidisset, per similitudines insereret. Sed tamen consentaneum videtur, id, quod ad complures locos pertineat, ad totam Iliadem referri, praesertim cum illi loci eandem sedem significantes in diversissimis rhapsodiis legantur.

Iliadis de sede auctoris haec verisimillima videtur esse coniectura; de Odysseae patria vel origine nihil certi, nihil verisimile ventorum ex usu depromptum dici poterat. Namque in hoc carmine similitudines, in quibus solis illae locorum significationes investigari possunt, rarae apparent. Accedit, quod Odysseae fabula in remotissimis agebatur regionibus, longe a sede carminis epici distantibus, interdum etiam animo et cogitatione fictis. Quare poetae, si res omnibus notas, quas circa se quotidie fere fieri populares viderent, carminibus saepius admiscuissent, suavitatem carminum turbavissent fidemque enarrandarum fabularum imminuissent. Sed nonnulli inveniuntur loci, e quibus, etiam si, quonam certo terrarum loco sedes poetae fuerit, ostendi non possit, tamen in Graecia ipsa sedem non fuisse contra Boehmium[1]) concludere liceat. His adnumero locum β, 420 sq. Ibi enim Minerva Telemacho ab urbe Ithaca Pylum ad Nestoris urbem in litore Messeniae vel Elidis sitam navigaturo, ut quam celerrime vento secundo usus iter conficiat, mittit Zephyrum. Intellegendus igitur is ventus, qui navem recta via litori Messeniae appellat. Atqui ab ea conditione abhorret situs insulae Ithacae, quae ab urbe Pylo non ad occidentem sed recta fere via ad septentrionem vergit. Talis locorum situs ignorantia poetae, prope illas regiones habitanti, nullo modo pro diligentia aliis in rebus saepissime spectata tribui potest. Itaque discrepantia loci, nisi tum nautas peritos fuisse ventum obliquum captandi putemus, alia ratione interpretandi inita infringenda et explicanda est. Sumendum enim est, eum, qui hanc Odysseae partem composuerit, procul ab illis regionibus fuisse, ut de vero locorum situ certi nihil compererit. Quod verbis confirmatur Ulixis, quibus ille ι, 25 sqq. de sede sua Alcinoum, regem

[1]) Die Odyssee das Werk eines böotischen Dichters. Stolp. 1875 sqq.

Phaeacum, certiorem facit. Ibi enim cum dicatur, Ithacam omnium insularum circumiacentium maxime ad occidentem vergere — id quod cum minime cum rerum natura consentiret, tamen ab omnibus fere carminum homericorum auditoribus tum quidem credebatur —, facile fieri potuit, ut poeta, illa opinione ductus, Telemachum ab insula Ithaca ad urbem Pylum, quam eandem ad occidentem vergere compertum habebat, vento Zephyro venientem induceret. Hac locorum viaeque inscitia, nullo modo poetae in Graecia sedes habenti tribuenda, in regiones magis ad orientem versus spectantes, et, si coniecturae locus datur, in easdem epicorum ducimur sedes, in quibus Iliadem compositam esse supra vidimus. Quocum optime convenit locus tertiae rhapsodiae γ, 169 sqq. Hic enim Nestor, cum moratus in Lesbo insula de cursu classis domum tendentis cum sociis navigationis consulat, ea loca enumerat, easque vias significat, quae Chii insulae incolis prae ceteris nota erant. Alia eiusmodi vestigia infra afferemus. Sed tamen hae suspiciones caute tractandae cauteque adhibendae sunt, quoniam fallaces sunt nec certis argumentis probari possunt. Immo reiciendae erunt, simulatque caussae graviores ex aliis rebus depromptae cum illis pugnare videantur.

Caput V.

Qualis ventorum cum in itineribus heroum tum in erroribus Ulixis enarrandis usus fuerit.

Itinera et errores nonnullorum heroum ex iis, qui Troiam oppugnaverunt, Homerus carminibus suis exornandi caussa et ut mores eorum etiam navigationis periculis suscipiendis illustraret, saepius inseruit. In his qua ratione in ventis mittendis usus

sit, quamque viam eos ingredi voluerit, optime cognoscitur ex iis, quae in notis regionibus facta sunt.

Ac primum Herculis errorem videamus, cuius e poemate priore tempore composito Homerus mentionem carptim fecit.[1]) Ei enim Juno cum vehementissime irasceretur, Troia expugnata domum redituro, Boreae auxilio turbines perniciosos excitavit.[2]) Quibus Hercules cursu depulsus, postquam diu per undas erravit, ad insulam Coam delatus est. Ex ea itineris navigatione apparet, Herculi domum, id est Argos, naviganti, Boream ventum fuisse secundum. Sed ne eo, quo propositum esset, veniret, Juno turbines, qui cursu eum deflecterent et procul a Graecia deferrent, movit. Delatus est re vera Hercules; sed, cum per totum iter Boreae flatus non intermiserit, statuendum est, ventum cursum viamque mutasse. Nihil de ea re cum poeta tradat, sequitur, Homerum tam leves ventorum inclinationes, tam exiguas viarum deflexiones non animadvertisse aut, si animadverterit, commemorare et referre noluisse. Qua ex re videre licet, simplicis aetatis et praecipue homericae esse, ventorum cursus in universum significare eorumque immutationes, quas posterioribus temporibus, cum auxilia navigandi aucta sint et itinera saepius fiant, viri earum rerum periti notare solent, parvi facere vel potius omnino neglegere. Eiusdem Boreae cursus cognoscitur e locis ι, 67 sqq. et τ, 209. Illo enim flatu eius naves Ulixis a litore Thraciae ad promunturium Malean recta via feruntur, hoc autem Boreas ab insula Creta Troiam navigantibus adversus flat, cursu hic quoque in universum significato.

Transeamus ad narrationem eius itineris, quod fecisse sese Ulixes apud Eumaeum hospitem versans ementitus est ξ, 199 sqq. Versu 253. narrat Ulixes, cum Borea se ab insula Creta in Aegyptum navigasse; quod minime convenit cum situ earum terrarum. Quapropter interpretabantur plurimi viri docti,[3]) Boream hic eum ventum significare, qui spiret e regione inter occidentem et septentrionem spectante. Sed ne hac quidem coniectura difficultas loci tollitur. Namque iis, qui ab insula Creta in Aegyptum navigare velint, paene Zephyro opus est.

[1]) Ξ, 250 sqq. et O, 25 sqq. [2]) cf. Scholl. B. L. V. ad O, 26.
[3]) cf. Voelcker, Hom. Geogr., p. 75.

Aliam igitur interpretationis viam inire mihi liceat. Antiquissimis temporibus, quibus locorum cognitio exigua et rudis, proxima tantum complectendi potens esse solet, omnes terrae procul sitae, auditione famaque solum notae, pro imperfecta mundi descriptione propius iacere propiusque accedere ad eos qui audiunt videntur. Huius rei exempla, quorum numerus ingens est, afferre supersedere possum.[1]) Ita factum est, ut Graeci, qui temporibus homericis vivebant, Aegyptum propius sitam esse magisque ad meridiem quam ad orientem versus putarent. Et inde Homerus subtilitate neglecta Ulixem ab insula Creta in Aegyptum cum Borea, id est eo vento, qui e regione plagae septentrionalis spirabat, navigantem fecit. Qui Aegypti situs confirmatur itinere Menelai, cuius naves procella a promunturio Malea eodem flatu partim ad insulae Cretae litus occidentale, quod recta via a Malea ad meridiem spectat, partim ad Aegypti litus detulit.

Maior ea, quam supra tollere conati sumus, difficultas reperitur in eadem eiusdem itineris narratione vs. 299: ἐς Λιβύην μ' ἐπὶ νηὸς ἐέσσατο ποντοπόροιο . . . . . ἡ δ' ἔθεεν Βορέῃ ἀνέμῳ ἀκραέϊ καλῷ, μέσσον ὑπὲρ Κρήτης. Hic enim narratur, Ulixem in navi Phoenicis cuiusdam a Phoenice in Libyam tendentis cum eodem Borea navigasse. Atqui Libya a Phoenice recta via in occidentem vergit ita, ut hoc quoque loco nullo modo nodum eximant, si qui Boream e regione inter septentrionem et occidentem sita spirare dicant. Eandem ac supra viam ingressi, hunc quoque locum interpretari conabimur. Cum enim cum Borea Homerus navem a Phoenice in Libyam vehentem inducat, vero terrarum situ omisso dicemus, ad Homeri mentem Phoenicen magis ad septentrionem spectare, ita ut etiam Cretam insulam navis praetervehatur vs. 300 sq.[2]) Quod verisimile fit, si sedem ipsius poetae in regionibus Asiae minoris magis ad septentrionem vergentibus fuisse putamus. Inde enim, cum totum iter a Creta ad meridiem versus dirigendum esset, facile poeta navem Boreae flatu ferri iis, qui easdem sedes tenebant, tradere


[1]) cf. J. H. Voss, Krit. Blätter, II, p. 337 et saep. Myth. Br., I. et II. in appendice contra Boettigerum.
[2]) cf. Ameis. ad l. c.

potuit. Si vero in Graecia poetam carmina composuisse sumatur, rerum naturae magis consentaneum erat, Eurum, quia Graeci in Graecia ipsa habitantes Lĭbyam recta via ad meridiem versus, Phoenicen contra aliquantum infra Cretam sitam esse scire debebant, navigantibus excitare.

Ex iis quae supra passim dicta sunt facile apparet, cavendum esse, ne ventorum inclinationes viarumque deflexiones accuratius indicare studeas, neve eundem, qui hac aetate notus sit, locorum situm Homero quoque notum fuisse concludas. Etenim si, ut exemplo utar, Boream modo e regione inter septentrionem et orientem spectante, modo ex ea quae vergat inter occidentem et septentrionem spirare dicant, facile accidat, ut quasi in bivio Boreas cum Zephyro aut Euro, qui eandem digressionem in utramque partem suo iure instituere possint, confligere coactus sit. Talibus cursuum deflexionibus si quis nodos interpretationis expedire studeat, caveat, ne maiores difficilioresve nodos nectat iis, quos se solvisse existimet. Quod prae ceteris Voelckero opprobrio dandum est, ut infra ostendam. Sed contra tenendum est, Homerum, cum ventos nomine significet, singulis minus amplum, quam multi viri docti putabant, regnum tribuere, ita ut, spatio interposito, concursus vel confusio ventorum nullo modo fieri possit. Itaque si orbem ventorum eorumque regnum circinis regulisque circumscribere et demetiri liceret — id quod natura poeticae artis vetat —, hunc fere in modum forma describenda erat.

Boreas.

Zephyrus.



Eurus.

Notus.

Restat, ut de erroribus Ulixis pauca addam. De quibus per tot saecula diversissimae sententiae a viris doctis prolatae sunt. Neque omnes recensendi locus hic erit. Sed tamen operae pre-

tium est, — id quod ad propositum pertinet — de iis quaestionem instituere, qui errores argumentis ventorum ab usu et commemoratione sumptis, artificium quoddam historiamque perpetuam conficientes, certis notisque in locis collocare eosque certo dierum viarumque spatio factos esse ostendere conati sint. Hac in re prae ceteris egregiam operam consumpsit Voelckerus, plane cumulateque, ut putabatur, eas quaestiones absolvens, quas antea instituerunt J. H. Vossius,[1] Ukertus,[2] alii.[3] Cuius de erroribus Ulixis opiniones, quas multi viri docti[4] secuti sunt et adhuc secuntur, denuo exanimandas esse putavi. Plurimum enim ad cognoscendas antiquitates homericas interesse videtur, veraene sint an dubiae. In illis erroribus interpretandis et collocandis prima et praecipua, quam secutus est Voelckerus, ratio illuc pertinebat, ut nunquam vicissitudines dierum noctiumque, nunquam commutationes ventorum ab Homero non tradi putaret. Quae quam perversa sit, quaque inconstantia ab eo adhibita, hac quaestione ostendam.

Ac primum quidem terra Lotophagorum ubi fuerit, quaerendum est. Quibus recte certisque locis collocatis in spem interpretes adducuntur, fore ut cetera quoque errorum loca quodam modo reperiantur. Repperit Lotophagos Voelckerus in septentrionalibus Africae regionibus, iis locis, quae Romani postea Africam propriam vocabant, nos regnum Tunitanum appellamus. Quod omnes fere recentiores Homeri interpretes, omissis veteribus, probaverunt, uno vel duobus exceptis.[5] Hanc autem collocationem effecit eo, quod verba ὀλοοῖς ἀνέμοισιν ι, 82 ita interpretatur, ut significent non Boream solum, sed quodam modo et Eurum, quo in illas regiones ad occidentem spectantes solo Ulixes ferri potuerit. Quam terram ad occidentem versus

[1]) Krit. Blätter, II.

[2]) Bemerkungen zur homerischen Geographie. Weimar 1814.

[3]) Mira sunt, quae attulit A. Schusterus in Jahn's Archiv (Supplementband II, p. 165—177). Is enim Cyclopas non recte collocat in Thracia, perperam interpretatus locum ι, 160 sqq.

[4]) Forbiger, Geogr., I, p. 18 sqq. B. Thiersch, p. 265 sqq. Buchholz, I, p. 259. Pauly, Realencyclop. s. v. Geographie. Orbis Homeri in Spruner, Atlas ant. 1850. alii.

[5]) cf. Klausen, Hallesche Litt. Zeitg. 1830. II. Stück 157—159, p. 610 sqq. Schuster, l. supra c.

spectare, et nobis dicendum est, non, ut Voelckerus voluit, propter viciniam Cyclopum terrae, situ incertae, sed quod haud procul abest ab insula Aeoli, unde Zephyrus ventus recta via Ulixem domum ad insulam Ithacam fert. Nec minus vituperandus est Voelckerus — id quod ad omnes fere pertinet, qui de erroribus Ulixis scripserunt —, quod cum illi terrae Africae nomen dedit, nihil tradente de ea re poeta, tum ceteras regiones ab Homero laudatas sub nomine locorum et veteribus post Homerum et nobis notorum induxit. Sed his hoc loco omissis Voelckerum recte Lotophagorum sedes indicasse sumamus. Inde venit Ulixes cursu unius diei ad Cyclopum terram vento non indicato. Sed cum ventum mutatum esse aut consedisse non tradatur, idem navium cursus statuendus est. Contra Voelckerus terram Cyclopum ab Africa ad septentrionem spectare ostendere conatur caussis haud probabilibus. Dicit enim, Ulixem a Malea ad Lotophagos flatu Boreae venisse, ab insula Aeolia ad Ithacam, magis Maleâ ad septentrionem vergentem, Zephyri flatu. Quod primo conspectu falsum esse apparebit. Nam paullo ante idem Voelckerus ostendere acerrime studuit, non solum Borea Ulixem venisse ad Lotophagos, sed etiam flatu Euri agitatum. Nec magis recte eundem occidentalem situm terrae Cyclopum ac Lotophagorum ostendit, dicens, spatium a Malea usque ad Lotophagos par esse spatio ab insula Aeolia, prope terram Cyclopum iacente, usque ad insulam Ithacam. Recte hoc quidem; sed Ithacam a Malea cursu trium vel quattuor dierum distare, oblitus est reputare. Qua de caussa Voelckeri de sede Cyclopum sententiam reiciendam esse duco. Eadem de caussa nullo modo probari potest, quod p. 111 extr. de venti commutatione argutissime disseruit. Cum enim recte sese sedem Cyclopum indicasse pro certo haberet, Ulixem eo Noti auxilio venisse ostendere debuit. Qua in re ipse secum pugnavit, cum paullo ante diceret, tempestatem, quae ad Lotophagorum terram Ulixem appulisset, flare non desiisse. Hoc si melius observasset, constantiore de ventorum usu apud Homerum opinione interpretandique ratione usus esset. Praeterea ea res illi obstat, quod quamquam ipse terram Lotophagorum a terra Cyclopum cursu unius tantum diei abesse dicebat, tamen spatium in descriptione orbis terrarum Homero noti ita depinxit, ut cursus sex septemve

dierum noctiumque aequaret. Qua re totius tabulae species immutatur ita, ut cum ea verba commentarii discrepent.

His gravioribusque implicantur erroribus ii, qui nimis confisi sagacitate ad severiorem normam locorum homericorum situs ventorumque cursus dirigere studeant. Aliud erroris exemplum afferre liceat. In altera parte errorum Ulixeorum, qui in rhapsodia μ. narrantur, primaria quaestio ea est, ut reperiatur, qui cursus Ulixi ab insula Aeaea domum tendenti fuerit tenendus. Quam ad rem profligandam Voelckerus p. 119 ostendit, Ulixem ab insula Thrinacia navi provectum esse flatu Boreae, qui quidem illo loco ventum significaret spirantem e regione inter occidentem et septentrionem vergente. Boream autem spirasse necesse esse, quia postea Juppiter Zephyri tempestatem misisset et quia moratis in insula Thrinacia Eurus et Notus, id est is ventus, qui e regione inter meridiem et orientem spectante flaret, adversum tenuisset. Quod si recte dictum esse sumamus — id quod nullo modo probari posse, supra ostendimus, — haec erunt monenda in Voelckerum. Boream, cuius flatu proficiscentes ab insula Thrinacia usi sunt, haud multo post profectionem consedisse, ex ipsis poetae verbis satis elucet. Tum tempestate Zephyri coorta Ulixes per undas agitatur. Aliquanto post et illa considente excitatur Notus, cuius flatu ad Scyllam et Charybdim Ulixes reicitur. Sequitur, Notum vento Zephyro contrarium esse. Zephyrus igitur non Euro contrarius est, non e sola regione occidentali flare potest, sed e regione inter septentrionem et occidentem vergente spirare videtur. Itaque hoc loco, si Voelckerum sequeremur, Zephyrus et Boreas, nomine locisque inter se diversi, eundem ventum significarent, quam rem nemo non improbabit. Ex quo intellegi potest, quam difficile vel sagacissimo viro sit, quae poeta e variorum hominum nuntiis et commentis contexta, quodam narrationis ordine usus, ventorum nominibus temere adhibitis composuerit, ea investigare et definire et certa ratione composita esse ostendere. Melius erit magisque ingenio Homeri consentaneum dicere, poetam ex iis, quae populares eius de variis Ulixis erroribus ex vetustiorum vatum ore acceperant, suo arbitrio ductum aptissima ad illustrandam Ulixis patientiam discrimina elegisse, pauca addidisse, omnia denique sic disposuisse ut nunc habemus.

Itaque frustra operam consumere ducimus, quicunque in homericis carminibus ventorum vias cursusque accuratius indicare, certa locorum spatia demetiri, situm denique earum regionum, per quas Ulixes erraverit, notis in locis reperire et in tabula quadam depingere in animo habeant. Ii enim non in poetis illustrandis, sed in explicandis geographis operam videntur consumere.

Vita.

Natus sum Theodorus Augustus Victor Pfannschmidt a. d. x. Cal. Mai. anni MDCCCLV. patre Victore, matre Ottilia Maria de gente Guentheriana in municipio, cui est nomen Coswig, sito in ducatu Ascaniensi. Ibi pater muneribus consulis fungebatur nec non caussas agebat. Fidei addictus sum evangelicae.

Primis litterarum elementis imbutus sum usque ad annum LXVI. h. s. ludo municipali. Tum Dessaviam deductus classi sextae adscriptus sum gymnasii, quod etiamnunc auspiciis Brockii, toti rei scholasticae Ascaniensi praepositi, floret. Cui viro optime de me merito gratias ago quam maximas. Anno h. s. LXXII. praematura et subita morte mater dilectissima nobis erepta est. Amissae coniugis dolore et taedio rerum publicarum Coswigensium ductus, pater transmigravit Lavenburgum in oppidum ad Albim prope Hammoniam situm, ubi eisdem atque antea fungebatur muneribus. Relictus Dessaviae, gymnasium frequentavi usque ad annum h. s. LXXVI. Aprili illius anni mense testimonio maturitatis impetrato Jenam ut per primum studii philologiae annum simul stipendia voluntaria facerem me contuli. Quibus perfectis ibi per duo semestria moratus sum, deditus studiis philologicis; morte et patris repentina audita

Lavenburgum venire properavi. Exsequias patris carissimi optimi prosecutus, sine lare vivens, patria carens, orbatus parentibus anno h. s. LXXVIII. in academiam Lipsiensem ad litteras redii.

Jenae lectiones frequentavi virorum clarissimorum Rohdii, M. Schmidtii, Delbrueckii, Sieversii, A. Schmidtii, Euckenii, Voelckelii; Lipsiae autem scholis interfui virorum doctissimorum illustrissimorum Curtii, Biedermanni, Gardthauseni, Heinzii, Goetzii, Braunii, Overbeckii, Ribbeckii, Langii, Arndtii, Voigtii, Hermanni, Ecksteinii. Omnibus his optime de me meritis gratiam habeo maximam semperque habebo.